Pindar.

ΠΙΝΔΑΡΟΥ

ΕΠΙΝΙΚΙΩΝ ΤΡΙΑ.

PINDARI

CARMINA TRIA

OLYMPIORUM II. & VI.
PYTHIORUM I.


PROOEMIO ET ANNOTATIONE
EXPLANAVIT ET ILLUSTRAVIT

SIMON KARSTEN.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Offic. J'O.H. ALTHEER.

MDCCCXXV.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

VIRIS ILLUSTRISSIMIS,
GRAVISSIMIS, AMPLISSIMIS,
GYMNASII CURATORIBUS
ET
INSPECTORIBUS,

JOANNI VAN DOELEN,
J. U. D. CIVITATIS RHENO-TRAJECTINAE CONSULI,
ACADEMIAE CURATORI,

EVERHARDO REGNERO VAN NES
TOPARCHAE IN MEERKERK,

J. U. D. URBIS RHENO-TRAJECTINAE SENATORI,

PETRO VERLOREN,
J. U. D. URBIS RHENO-TRAJECTINAE SENATORI,

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,
PHIL. THEOR. MAG. J. U. ET LITT. HUM. DOCT.

ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO,

PHILOSOPHIAE THEORET. ET LITERARUM HUM. IN
ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROFESSORI,
INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINA-
RUMQUE TERTII ORDINIS SOCIO,

HENRICO SMITH,
DOCTRINAE CHRISTIANAE INTERPRETI

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Postquam per quinque annos in hac Academia literarum doctrinaeque caussa essem versatus, ante hoc ipsum biennium evenit, ut in florentissimo civitatis hujus gymnasio praeceptoris mihi munus a Curatoribus mandaretur. Quod cum lubens accepissem, tum magis etiam post intellexi, quam utilis mihi et fructuosa haec res obtigisset: quum me juvenem in tali statione viderem collocatum, in qua nec literarum copias, neque praeceptorum eruditissimorum consilia unquam desiderarem. Quo sane majorem iis me gratiam debere sensi, quorum beneficio tale mihi munus contigisset. Quamobrem quum studiorum meorum ratio a me postularet, ut aliquid conscriberem, quo doctoris nomen consequerer, una cum ipso scribendi proposito, his etiam viris meum, qualecunque foret, opusculum inscribere constitui. Quod jam accipiant velim, ut memoris animi et observantiae monimentum. De scribendi autem materie mecum cogitanti, varia se obtulerunt argumenta, quibus nec copia

ad

ad disserendum, nec gravitas deesset: quae autem varietas ipsa me, ut fieri solet, impedivit, et propositum, aliis quoque muneris negotiis intervenientibus, aliquandiu retardavit. Sed quum Pindarum studiosius legere atque diligere coepissem, suasit Heusdius, *vir clarissimus, ut in hunc ipsum industriam meam et laborem conferrem. Pindarum enim quamvis multi atque eruditissimi viri explicuissent, non tamen ita esse, in usum praesertim adolescentium, illustratum, quin copiosam atque elegantem exquirendi praeberet et disserendi materiem: in hujus igitur explicandis carminibus et illustrandis, virium mearum facerem periculum. Ad quod opus suscipiendum facile viri praestantissimi me impulit auctoritas, ne ipsum quidem ab hoc negotio abhorrentem. Nam postquam Pindari carmina tractare coeperam, quo diligentius in legendo versabar, eo acriore incitabar ad legendum stimulo, propter divinam illam ingenii vim, qua legentis animus movetur et veluti altius attollitur: admirabar sententiarum gravitatem, dictionis magnificentiam et venustatem, et generosum illum alti pectoris sensum, quem tota ejus spirat poësis. Neque minus delectabar carminum argumento, quod ad ea pertinet Graecorum studia, quae nec aliunde petita, nec cum quibusvis populis com-*

mu-

munia, sed domestica et Graecis paene propria fuerunt. Celebrantur in iis viri inter aequales suos nobilissimi et clarissimi, qui gloriae studio et aemulatione excitati de laudis principatu secum invicem concertabant. Cernimus adeo in his carminibus expressam illius aetatis imaginem, qua Graeci cum studiorum ingeniique vigore, tum virtute, potentia et splendore maxime excelluerunt. Haec animo consideranti nullum mihi argumentum magis quam hocce Pindaricum placuit. Itaque opus suscepi viribus quidem meis, ut, quod sentio, profitear, majus atque gravius: at suscepi tamen, studii scilicet ardori prorsus obsecutus. Maxime autem meo consilio conveniens videbatur, hoc opus ita describere, ut primum Pindaricae poëseos vim et rationem disserendo explicarem, quo tanquam aditu in ipsa poëtae carmina legentes inducerentur. Ex his deinde tria elegi, quae cum aliorum judicio tum meo sensu inter praeclarissima poëtae monumenta sunt collocanda, eaque explanare et annotatione illustrare instituí. In numerorum versuumque ordine et descriptione Boeckhii *rationem sum secutus: cujus atque* Disfenii *conjuncta cura et eruditio quantum his carminibus ornamenti attulerit, nec quemquam literarum studiosum latere puto, nec me, si vellem, praedicare deceat.*

Ho-

Horum virorum aliorumque luminibus si quid ipse luminis ad Pindarum Graecasque literas illustrandas attulisse videar, studii mei et laboris fructum cepero sanequam uberrimum.

Jam, ut eo veniam, quo dudum mea tendit oratio, ad vos me converto, Heusdi *et* Goudoeveri, *Viri Clarissimi! quorum eruditioni et humanitati post patrem meum, virum optimum et doctissimum, plurimum debere me sentio. Quodnam igitur officium vel dulcius mihi vel honestius esse possit, quam eam me gratiam, quam dudum vobis habeo semperque sum habiturus, nunc testari et palam profiteri. Nulla sane jucundior unquam mihi erit recordatio, quam praeteriti temporis illius, quo cum utriusque vestrum, tum tuis etiam, Cl.* Heusdi, *Pindaricis et Platonicis interesse mihi contigit lectionibus sermonibusque; quibus, si quid in me inesset pulcri, veri honestique studium, id excitastis et aluistis. Hoc igitur scriptum, vestra auctoritate confectum, vobis sit et grati animi pignus et documentum mei in literas, quibus me imbuistis, studii et amoris. Quae ut, vobis auctoribus, diu in hac Academia floreant, et patriae et humanitatis caussa opto atque precor.*

PRO-

PROÖEMIUM.

Quamquam ea est apud Graecos principum poëtarum copia et praeſtantia, ut eorum paene nullus ſit, quin ſuis et dotibus ſe commendet et laudibus floreat, habet tamen alius alio majus ingenii lumen majoremque existimationem et nominis celebritatem. Horum autem in primis Pindarum excellere, cum omnes, qui ejus carmina legerunt, conſentiunt, tum vero antiquorum facile probat auctoritas: ut, ſi ſcripta ejus omnia nobis periisſent, nemo tamen principi loco eum ponendum esſe dubitaret. Ecquis enim, excepto Homero, poëta fuit, qui majore, cum apud aequales existimatione et celebritate, tum apud posteros laude et admiratione floruerit, quam Pindarus? quippe qui, dum vixit, non modo regum et principum ſua aetate hominum familiaritate et hospitio uſus est, ſed etiam a civitatibus et populis tanquam vates divinus ſummis honoribus et praeclarisſimis muneribus ornatus. Post mortem vero memoria ejus cum ſtatuis, tum, quod majus est, maxima posteritatis veneratione

est consecrata. Cujus rei illustre exemplum praebet illud, quod de Alexandro Macedone memorant: qui cum Thebas vastari et funditus everti jussisset, in communi totius paene urbis ruina Pindari aedes incolumes servari voluit; quod factum dubites utrum magno rege dignius, an divino poëtae gloriosius fuerit (1). Nec minus honorifica sunt scriptorum testimonia ejus nomen laudantium, in quibus acerrimi illius poëtarum censoris, Platonis, qui saepius ejus dictis utitur, et inter excellentes poëtas Pindarum praecipue memorat (2). Ergo si tam praeclarum illorum judicium de hoc poëta fuit, quidni nos, qui antiquitatis tanquam oraculi vocem sequimur, pari eademque qua Graeci veneratione et studio Pindarum colamus et diligamus?

Hujus igitur carmina tractaturi, prius quam ad rem ipsam accedamus, tanquam in aditu nonnulla monere juvat, cum de ipso Pindaro, tum de poëseos genere, quo in primis celebritatem est nactus.

Aetas illius in ea incidit tempora, quibus summus Graecorum vigor ac vis incorrupta censetur. Etenim et maturitate ingenii et aetatis adhuc flore vigebat, quum Xerxes Graeciae bellum inferret (3): quae

(1) Plutarch Alex. Cap. XI. fin. Aelian. Var. Hist. XIII. 7. Dion. Chrysost. de Regno Or. II. p. 25. cf. Schneider. Pind. fr. p. 25.

(2) Menon. p. 81. A. cf. Groen van Prinsterer, in docta disput. qua continetur Platonis Prosopographia, p. 34.

(3) Teste Diodoro Sic. T. I. p. 425. ed. Wessel. Quo ip-

quae quidem aetas, ut immortali fortitudinis ac militaris prudentiae laude, ita non minus literarum ſtudiis et ingeniorum lumine fuit illuſtris. Natus autem et educatus in principe Boeötiae civitate, Thebis, pervulgatum illud et inveteratum in Boeötorum nomine inertiae probrum (4) quaſi ſua ingenii excellentia delevit. Quamquam haec tamen fuit reliquorum potius Boeötorum, quam Thebanorum propria labes: quippe qui nec caeteras artes humaniores neglexerunt, et muſicen ac ſaltationem ſtudioſe in primis tractarunt. Iisdem artibus mature inſtitutus est Pindarus, in muſicis doctore praeſertim uſus Laſo Hermionenſi, qui gloria in hoc genere maxima fuit (5). Quo ſtudio illis animus informatus, et ad ſenſuum alacritatem et ſublimitatem excitatus, mox ad lyricam poëſin ſe applicuit. Hoc in genere plures eadem illa aetate floruerunt poëtae, in primis Simonides et Bacchylides, poëtria item Corinna, quorum vel praeceptis, vel exemplis inſtructus et aemulatione incitatus, tam longe prae omnibus et ſuperioribus et aequalibus evolavit, ad tantumque ſe evexit laudis faſtigium, ut

ipſo anno natus ſit Pindarus, quo mortuus, non plane liquet. Inquiſiverunt hac de re VV. DD. quos citat Harleſ. ad Fabric. Biblioth. Gr. L. II. C. XV. T. II. p. 59, tum Böckh. Proöem. ad Pindari Ed. T. II. p. II.

(4) Βοιωτίαν ὗν. Vid. Pind. Ol. VI. 90.

(5) Teste Thoma M. Vita Pind. De eo diſſeruit Burett. Mem. Acad. Inſcr. T. XV. p. 384. ſqq. et Böckh. Proöem. ad Metr. Pindari, T. II. P. II.

ut omnes una voce, una fententia principatum in lyrica poëfi Pindaro detulerint.

Hujus autem poëfeos ingens femper fuit apud Graecos honos et celebritas. Solebat enim non modo in privatis hominum circulis, festis, epulis, conviviis, tanquam gaudii comes, adhiberi; verum, ut plurimae artes humaniores, ita haec quoque in hominum frequentia publicisque rebus maxime viguit. Cujus quidem vis et ratio quo melius perfpiciatur, age, in antiquiora Graecorum tempora recedamus.

Graecorum cum tale esfet ingenium, quod juvenili alacritate et mobilitate vigeret, cumque his esfet acer decori venustique fenfus conjunctus, non miremur profecto, ut reliquas, quae ad corpus movendum et fenfus acuendos mulcendosque pertinerent artes, fic in primis muficen, cantum et faltationem maximopere eorum ftudiis expetita, et ingeniis exculta fuisfe. Itaque hae artes antiquisfimo jam aevo in Graecia exftiterunt; eas autem fovit maxime et aluit Deorum religio: quandoquidem in facris praefertim, tam ad Deorum honorem, quam ad festorum fuavitatem et hilaritatem, muficam et faltationem ufurpabant. Hinc elegans illa apud Platonem fabula: Deos ad humanos labores fublevandos vitamque exhilarandam, Mufas earumque ducem Apollinem et Bacchum in terram demifisfe, qui festa et choros inftituerent, et cum hominibus una celebrarent (1). Res ita fe

(1) Plato Legg. II. Cap. 1. et 9. ed. Ast. p. 653. et 664

se habuit. Festis diebus cum magna hominum multitudo confluxisset, pueri et puellae non minus forma quam habitu decori, ad vocis et citharae cantum variis modis se moventes et saltantes, choreas agitabant. Chori hujusmodi Homerus praebet imaginem, in Achillis clypeo, ut fingit, expressam:

ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες.

Deinde poëta illorum vestitum et ornatum, tum etiam pedum motus, velocitate et arte mirabiles, describit; interim vero

ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς,
φορμίζων· δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς,
μολπῆς ἐξάρχοντος, ἐδίνευον κατὰ μέσσους (2).

Hi κυβιστητῆρες illud videntur egisse, ut seorsim a choro, variis manuum, pedum, totiusque corporis motibus ea, quae canerentur, referrent et imitando exprimerent. Quem morem postea excultum etiam in nonnullis saltationis generibus, praecipue in modo *hyporchematico* dicto, usurpatum videmus (3). Chori illi praecipuum erant festorum ornamentum. Celeberrima, ab antiquissimo inde aevo, fuerunt festa in insula Delo Apollini con-

664 sq. Steph. Iisdem locis ex ipsa humanae naturae ratione ludorum et festorum ducit originem. Platonicam sententiam explanavit et illustravit Cl. den Tex, Disput. de vi Musices etc. p. 47-52. cum Animadv. ad calcem libri subjectis.

(2) Homer. Iliad. Σ. 593-606.

(3) Vid. Luciani et Athenaei loca, ap. Böckh. de Metris Pind. III. 13. p. 270.

confecrata, quae fuavi et nativa ratione Homerus descripfit. Jones in his festis congregati ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ Deum delectant: admirabiles vero funt Deliae puellae, Ἑκατηβελέταο θεράπναι, hymnos celebrantes, et eo in primis excellentes, quod omnium hominum fonos ita canendo imitantur, ut vocem quisque fuam fibi agnoscere videatur (1). Itaque jam ante Homeri aetatem chori apud Graecos invaluerunt, unde illam vitae humanae imaginem hic ad Deos etiam transtulit (2). Praeter choros ufurpari etiam folebant pompae, i. e. chori procesfiones, five aliis caufsis, five ut honoris et folennitatis gratia aliquem ludentes profequerentur: qualis est pompa illa nuptialis, quae in *Scuto Herculis* describitur. Fingit poëta urbem celebrem, in qua vespere, ardentibus facibus, mulierem in curru fedentem ad maritum chori deducunt ludentes et hymenaeos celebrantes. Eodem autem loco inducuntur juvenes κωμάζοντες, qui ad tibiam faltantes, canentes, ridentes, procedunt:

πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
ἀγλαΐαι τ' εἶχον (3).

Apparet ex his, quanto ftudio mufica, cantus, faltatio, quae artes quafi cognatione inter fe continen-

(1) Homer. H. in Apoll. vs. 147-164. quem locum illustrat Thucyd. III. 104.

(2) H. in Apoll. 188. fqq. cf. Il. A. 603.

(3) Scuto H. 272-285. Pompa nuptialis describitur quoque ab Homero Il. Σ. 492-6. cf. Pindarus Pyth. III. 16. fqq.

nentur, olim fuerint in Graecia celebratae: adeo, ut non ſolum in privatis circulis domeſticisque gaudiis, ſed multo magis in publicis coetibus et festis vigerent.

Neque posteriore aevo chori et pompae evanuerunt, ſed cum aliis temporibus et locis, tum praecipue diebus festis, ad Deorum heroumque honorem in nullis non paene civitatibus inſtitutis, manserunt: ut v. c. Sicyonii in Adrasti honorem choreas ducere ſolebant (4). In Attica ad hunc morem honesti pueri mature informabantur; ne in civitate deëssent, qui in festis publicis venuste et ſuaviter hoc officio fungerentur (5). Atque idem in aliis civitatibus, celebrioribus praeſertim, factum esse, cum e ſcriptorum indiciis effici (6), tum probabili quoque conjecturâ colligi potest. Quippe ut ad bellum et arma milites, ſic ad ſacra et festa choros inſtructos et paratos adesse oportuit: quidni autem pueros ad id inſtituisſent, ſi quidem nec levis haec esset exercitatio, nec officium illud humile, ſed honestum potius et laudabile haberetur?

Jam hoc fuit veluti theatrum, in quo lyrica poëſis praecipue, et quaſi ſuo lumine niteret. Quo thea-

(4) Herodot. V. 67.
(5) Vid. Cl. den Tex, l. l. p. 15.
(6) Ut e Platone Legg. II. Cap 10. pr. ubi Clinias Cretenſis, de ſe et de Lacedaemoniis loquens, dicit, non aliam ſe nosse ᾠδὴν, ἢ ἣν ἐν τοῖς χοροῖς ἐμάθομεν ξυνήθεις ᾄδειν γενόμενοι

theatro quodnam tandem eſſe potuit illuſtrius et praeclarius, quum, in maxima ſpectantium celebritate et exſpectatione, ipſius tanquam divinitus miſſae auſpiciis et feſta inſtituerentur, et hominum animi vel Deorum religione et veneratione, vel gaudio et hilaritate commoti et excitati regerentur. Haec animo intuentes, facile percipiemus, lyricam poëſin, ut antiquitate, ſpecie et majeſtate nobilem, ita non minus ingenii vi et ſublimitate fuiſſe inſignem. Nam quod Graeci praeclare praedicant, non humanam rem, ſed divinam eſſe poëſin, neque poëtas ipſos humana arte et ingenio, ſed divini numinis Muſarumque ſpiritu et afflatu commotos et impulſos carmina fundere (1), id praeſertim de hoc lyricae poëſeos genere valet, in quo illud divinitatis lumen maxime elucet. Talis eſt ejus indoles atque habitus, ut, quidquid vulgare, humile, invenuſtum ſit, ab ea prorſus abhorreat; contra ſublimitas, magnificentia, ſplendor, venuſtas in ea unice dominentur. Narrationes, deſcriptiones, imagines nitidiſſimis coloribus illuſtratae; ſententiae cum impetu, tanquam tela, emiſſae, quarum vim atque ordinem interdum ſenſu magis percipere, quam ratione perſpicere et intelligere poſſis; dictio denique ita luminibus, tropis, ſi-

(1) Hanc ſententiam ſcripto expoſuit quondam Democritus, teste Cic. Or. II. 46. Divin. I. 37. tum Plato, Legg. III. 682. A. Jon. 533. E. 534. Phaedr. 245. A. alii. Hinc vocabulum ἐνθουσιασμός de Poëtis uſurpatum.

figuris ornata et illustrata, ut a caeteris poëseos generibus facillime possit discerni.

Poëseos magnificentiam auget et extollit rhythmi et harmoniae vis: utriusque sensu cum ipsius poëtae animus movetur, et quasi ad altius evolandum incitatur, tum etiam audientes deliniuntur, et in ejusdem divinitatis communionem evehuntur. Alterum eorum est cantûs, alterum saltationis veluti parens (1): ex quo intelligitur, has artes non tantum more et instituto, sed ipsa natura fuisse cum poësi conjunctas. Et cantus quidem continebatur praesertim vocis modulatione, quam fidibus et tibiis adjuvabant. Saltatio autem, non illa tantum variis pedum motibus, sed manuum quoque et vultûs, totiusque corporis actione et gestu ad carmina accommodato constabat. Itaque tres illae artes, poësis, musica, saltatio, tamquam tres Gratiae, mutuo complexu inter se ita erant conjunctae, ut naturali cognatione contineri, et mutuo consensu conspirare viderentur. Ex quo quidem consensu et harmonia, nemo est quin videat, quam praeclarum et excelsum quid exsistere debuerit, quod audientium simul et spectantium sese in animos insinuans, cum voluptate eos mulceret, tum communi omnes ardore impleret, et sublimitate extolleret.

(1) Discrimen harmoniae et rhythmi ostendit Plato, Legg. II. 665. A. τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, — ἁρμονίας ὄνομα προσαγορεύοιτο.

Haec universe de illo lyricae poëseos genere, quod cum choris erat conjunctum. Hujus autem, pro rerum, temporum et locorum diversitate magna quoque fuit varietas. Nam quo magis haec poësis una cum musica et saltatione celebraretur et excoleretur, eo magis et carmina et chori variari coeperunt. Unde plura orta sunt genera, singulis singula auctoribus, sive certis et cognitis, seu obscuris et incertis tributa: Hymni, Paeänes, Dithyrambi, Hyporchemata, Threni, Encomia, Epinicia, alia. Horum alia dignitate et gravitate, alia fervore et audacia magis cernebantur; alia erant laetiore et hilariore, alia magis tristi et flebili modo conformata.

Hujusmodi igitur carmina ex vario genere plurima Pindarus protulit: in quibus nonnulla etiam fuerunt, quae non a choris, sed a singulis aut pluribus, vel asfa voce, vel ad musicos sonos canebantur: quae tamen nunc omittimus. Cum autem haec carmina maximam partem ad sacra et festa solennia pertinerent, non miremur profecto, una cum istis carminibus etiam Pindari nomen omnium ore fuisse celebratum: quo etiam factum est, ut inter omnes lyricos unus ille maxime nobilitatus, et tanquam sacer Musarum et Apollinis antistes cultus et honoratus sit. Ac sane, si quisquam alius, hoc nomine Pindarus appellari meretur, qui etiam in templo Apollinis Delphico, sellam publice positam habuit, in quâ sedens carmina in Dei ho-

honorem funderet (1). Nec minor ille honos fuit, quod Apollinis nomine Pythia jusſit, de Theoxeniorum epulis portionem Pindaro asſignari; qui honos etiam ad ejus posteros propagatus est (2).

Sed quo major illius laus et praestantia fuit, eo magis dolemus, ex tanta carminum ſylva maximam partem ſive fortunae caſu, ſeu hominum negligentia intercidisſe. Integra ſervata nobis ſunt Epinicia, i. e. carmina ſolennium ludorum victoriis celebrandis comparata; quae carmina merito inter primaria Graecarum literarum monumenta habentur. Et vero talem locum ea obtinere, quis dubitet? Sive enim ipſius poëtae et ingenium et aetatem, qua vixit, cogitamus, maxima horum nobilitas, vigor, praestantia: ſive illorum carminum rationem conſideramus, ſunt ea fere unica ex ſacro illo et augusto carminum genere monumenta, quae ad nostram aetatem pervenere; ſive eorum argumentum attendimus, ductum illud est ex iis Graecorum ſtudiis et inſtitutis, quibus nihil clarius, nihil nobilius antiquitas habuit. Continent autem uberrimam rerum plurimarum et cognitione dignisſimarum copiam, quae vel mythologiae, historiae, antiquitatis, vel grammatices, muſices, rhythmi aliarumque doctrinae partium ſtudioſis ſua-

(1) Pauſan. X. 24. p. 858.

(2) Hac de re vid. Böckh. Prooem. ad Pind. T. II. P. II. p. 17: de Theoxeniis praeterea etiam Wyttenb. ad Plut. S. N. V. p. 68.

ſuavisſimum et exquiſitum praebent pabulum, quo ingenia alantur et exhilarentur.

Neque tamen dubito fore, qui mirentur, quomodo ludorum victoriae, et privatorum hominum laudes ſatis amplam et dignam poëſi praebuerint materiem, in qua tractanda verſaretur. Certe, ſi e nostrorum temporum ratione, de Graecorum rebus judicetur, totum hoc negotium leve et contemnendum potius, quam magno viro dignum et praedicandum videatur. At quis principem poëtam putet, tam ſublimi modo, tam grandi voce ludorum victores fuiſſe celebraturum, niſi maximus eorum ſplendor et gloria fuiſſet? Quo rectius igitur de Pindari carminibus existimemus, nobis cum alia, tum praecipue festorum illorum atque certaminum natura et origo indaganda: quod paucis hoc loco declaremus.

Si in Graecorum vitam, conſuetudinem et mores intuemur, eaque cum nostris temporibus comparamus, maxima omnino apparet utrorumque diverſitas. Nos quidem postquam a teneris domi educati, ac deinde alius alia arte vel doctrina, qua vitae vel praeſidium vel ornamentum paretur, inſtituti et formati ſumus, virilem ingreſſi aetatem, reliquum vitae tempus, plerumque intra domesticos parietes, in privato cognatorum, ſodalium, amicorum coetu et conſuetudine ducere ſolemus. Alia Graecorum erat vita. Quam primum ex ephebis excesſerant, e domesticis cancellis in publicum, tamquam ex umbra in lucem prodibant, ut

in

in media civitate hominumque frequentia versarentur, ac paene habitarent. Causſa hujus rei ex ipſo ducenda videtur Graecorum ingenio, quod erat tale, ut ſocietate, aemulatione, contentione, hilaritate vigeret. Hinc multiplices illi hominum coetus, vel rerum publicarum, vel ſacrorum, vel delectationis causſa inſtituti. Nulla paene in univerſâ Graeciâ civitas fuit, quin ſtatis temporibus ludos ageret, ad quos non ſolum civibus, ſed e quacumque fere Graeciae parte hospitibus aditus pateret. Ne reliquas enumerem civitates, unae ſufficiant Athenae, oculus totius Graeciae, quae ut auctoritate, cultu et opibus, ita non minus festorum frequentia et celebritate excelluerunt: ut merito, ſuam praedicans civitatem, dicat Iſocrates, eam non ſtatis temporibus, ſed perpetuo πανήγυριν haberi (1). Praeter hos ludos ſingulis proprios civitatibus, notisſimi ſunt ſolennes illi, et univerſis Graecis communes, Olympici, Pythii, Nemaei, Isthmici, qui tanto fuerunt ſplendore, ut nihil posſet celebrius esſe, nihil illustrius. Quod quibus rationibus factum ſit, ut appareat, age, ad ipſorum ludorum respiciamus originem.

Conſtat ex historia, antiquisſimo et rudi adhuc aevo, homines, praeſertim aris in Deorum honorem exſtructis ſacrisque inſtitutis, in haec loca ſenſim paulatimque ſe congregasſe, nonnullos in locis

(1) Panegyr. Cap. XII. fine. Cf. Periclis verba ap. Thucyd. II. 38.

cis vicinis fedes fuas collocasfe; mox quoque, invalescente hominum copia et ftudiis, communia festa certis esfe temporibus illic inftituta, quibus homines inter ipfos conjuncti, et a feparata atque inerti vita, ad focietatem, cultum et humanitatem fuerunt deducti. Atque nihil certe ad excitanda et evolvenda hominum ftudia his festis esfe efficacius potuit. Qui hic aderant omnes, cum religione et pietate imbuti, tum gaudio et hilaritate remisfi et effufi, tum mutua quoque erant benivolentia et animorum confpiratione conjuncti: cuncti una facrificabant, una celebrabant convivia, una fummis vitae deliciis frui, ftudiisque fuis indulgere gestiebant (1). Quid quaerimus? Ludi prope Deorum aras conditi, certamina inftituta, praemia certantibus propofita. Exemplum ejus rei illustre denuo nobis offerunt Delia illa Apollinis festa, ab Homero celebrata. Jones ibi congregati, praeter caetera, etiam pugilatione (πυγμαχίῃ) inter fe concertantes, Deum delectant (2): quod fuit antiquisfimum et nobilisfimum certaminis genus. Ex hoc autem univerfe posfumus de ludorum origine et natura judicare. Ut enim Delia haec certamina Apollini, fic reliqua fere omnia alia aliis fuerunt Diis confecrata, Quam nobilis Olympiae Jovis religio (3), cui ludos et festa Olympia olim ab Hercule

(1) De facrorum vi disferentem vide Cl. van Heusde, Diatribe in Civit. Ant. initio.

(2) H. in Apoll. 149.

(3) De Olympia fic Strabo VIII. Cap. III. §. 30. ed. Sie-

cule fuisse dedicata, veterum traditiones testantur? Non minor Pythone (unde ludi Pythii cognominati), Apollinis fuit religio et celebritas: a quo populi et reges et omnes, quicumque in incertis rebus et turbidis essent, consilia expetebant (4). Si ipsi igitur Dii ludorum praesides et arbitri habebantur, quis miretur maxima celebritate et gloria eos inter omnes Graecos invaluisse?

Cum religione ipsorum studia conspirabant. Quippe nullas artes Graeci studiosius tractarunt, quam eas, quae nervorum intentione, membrorumque motu, et omnino corporis exercitatione continerentur. Cujus rei cum in traditionibus, tum in Homeri carminibus, antiquissimis et illustrissimis Graecorum ingenii morumque monumentis, exempla et testimonia haud profecto desunt. Heroës, qui celebrantur, maximo sunt corporis robore, velocitate, agilitate, arte, dexteritate insignes. Equis, armis, cursu, lucta, pugilatu, sagitta, jaculo, disco, his exercitationibus et in otio se exercere, et festis diebus publice, propositis praemiis, inter se concertare solebant (5). Studia haec a majoribus accepta posteriores non neglexerunt, sed summo potius ea ardore coluerunt. Pueri statim, post-

Siebenk. τὴν δ' ἐπιφάνειαν ἔσχεν ἐξ ἀρχῆς μὲν διὰ τὸ μαντεῖον τοῦ Ὀλυμπίου Διός, κ. τ. λ.

(4) Cf. Ennii vs. apud Cicer. Or. I. 45.

(5) Homerus Iliad. B. 773. sqq. Ψ. 257. sqq. Pindar. Ol. X. 72. seqq.

postquam corporis vires se exserere coeperant, in publica gymnasia et palaestras deducebantur, ubi eas acuerent et corroborarent; mox adulti et jam aetate perfecti, ab his exercitationibus non remittebant, nec ante extremam paene senectutem deponebant: potentes, humiles, eruditi, indocti operam iis dare solebant (1). Nimirum has artes, quas gymnastica complectebatur, non modo ad robur et velocitatem, sed et ad formae speciem, et ad valetudinem tuendam, augendam, firmandam, totiusque omnino corporis habitum perficiendum optimas esse opifices arbitrabantur. Quid, quod philosophi, praecipue Plato, gymnasticam maximopere laudarunt et commendarunt, non corporis gratia, sed ipsius mentis, quam hac arte ad masculam vim, vigorem et fortitudinem conformari et corroborari statuerunt; contra, eâ neglectâ, ad muliebrem imbecillitatem et mollitiem delabi et infringi judicarunt (2). Quamobrem haec studia, quae parum hodie coluntur, tantum aberat, ut Graeci negligerent aut contemnerent, ut gloriosum potius in iis excellere haberetur. Honos excitat aemulationem: atque hujus item ardore maxime Graeci incaluerunt: quorum ingenio hoc fuit a natu-

(1) Ita e Philosophis Pythagoras, Socrates, Plato fecere. Vid Cl. den Tex, Diss. de vi Musices etc. Animadv. p. 128. item Empedocles, teste Athen. I p. 3. De re ipsa vid. praesertim Lucian. Gymn. Cap. 24. T. II. p. 905. ed. Hemst.

(2) Exposuit hanc sententiam praecipue de Rep. III. p. 410 sq.

tura datum, ut quidquid honestum, quidquid laudabile haberetur, in eo excellendi summa esset omnium concertatio, et quisque sibi studiorum normam proponeret Homericum illud:

αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων (3).

Ne vero levium viliumque fuisse hominum ista certamina putemus. Viri inter omnes clari, spectati, nobiles in arenam descendebant, ut victoriae palmam quaererent: imo reges etiam et principes equos et currus illuc mittebant, quos vel ipsi vel per cognatos, amicos aut ministros suos agentes, splendore, dexteritate et equorum flore inter omnes eminere omniumque movere admirationem studebant. Quodsi ipsa consideramus certamina, erant sane illa, si quidquam aliud, laboris et periculi plena. Quippe dum inter se summo conatu, summa nervorum intentione contendunt, et alter alterum velocitate, robore, agilitate superare nituntur, ecce! alii pugnis et plagis contusi, alii curribus ejecti et prostrati, fractis membris, viribus exhaustis, atque semianimes adeo auferuntur (4): in his quippe omnibus levia et facilia contemnentes, ardua et difficillima pulcerrima habentes et praeclarissima (5).

Vic-

(3) Iliad. Z. 208.

(4) Hujus rei exempla exstant apud Homer. Iliad Ψ. 391. sqq. 685 - 700. et deinceps passim. Virgil. Aen. 425 - 472. de curuli certamine Pindar. Pyth. V. 34. et 46. sqq. Pugilum certamen egregie depinxit Theocr. Idyll. XXII. 80 - 130. Apoll. Rhod. II. pr.

(5) Quod in Graecorum est proverbio: χαλεπὰ τὰ καλά Plat. Crat. 257. E. cf. Ast. Commentar. in Plat. de Rep. p. 494.

Victoriae autem quamvis vile esſet praemium, corona ex lauri, oleastri, aut alius arboris fronde decerpta, at gloria ſumma habebatur. Scilicet non aurum, non ebur, non res pretioſae, ſed cunctae Graeciae plauſus, optimi cujusque approbatio, amicorum et propinquorum gratulatio, laudes et honores amplisſimi, haec erant laboris exantlati ſolamina, haec victoriae munera. Nec mirum. Corona enim ſimul et virtutis praemium et divini numinis donum habebatur. Quid ergo tali victore, Olympionicâ potisſimum, praeclarius et beatius, praeſertim ſi cum victoriae laude juventutis vigorem formaeque ſpeciem conjungeret:

ὡραῖος ἐὼν καὶ καλὸς κάλλιστά τε ῥέξαις (1).

Memorabile est in hanc rem quod Diagorae Rhodio, Olympionicae nobili, qui ejusdem laudis patrimonium filiis tradiderat, accidisſe ferunt. Nam cum duos aliquando filios victores Olympiae vidisſet, eum a Lacedaemonio hac gratulatione acceptum esſe tradunt: Morere, Diagora: non enim in coelum adscenſurus es (2)! Nec ſimilia deſunt poëtarum praeconia, quibus humanae felicitatis faſtigium victores attigisſe praedicant.

Tanta cum esſet illius gloriae amplitudo, non angus-

(1) Pindar. Ol. IX. 101. De victorum gloria vid. Lucian. Gymn. cap. X. T. II. p. 889. ſq. ed. Hemſterh.

(2) Cic. Tusc. Qu. I. 46. Res varie a ſcriptoribus narratur. Vid. Davis. ad Cic. l. l. Böckh. ad Pind. Ol. VII. Explicatt. p. 166. pr.

gustis finibus, non privata ipsius victoris laude continebatur, sed latius se diffundens ad cognatos, propinquos, tribules, totam denique victoris patriam pertinebat.

Nam quod egregie Plato dixit, non sibi solum homines esse natos, sed partem parentibus, cognatis, amicis, partem patriae debere (3); atque cives omnes, ut membra corporis, sic civitatis esse partes; cum ea quasi cognatas et cohaerentes (4): haec sane fuerunt antiquarum ingenio civitatum prorsus consentanea. Ut cives pro patriae incolumitate et gloria omnia faciebant et ferebant, omnia ei gratificabantur, ejusdemque se et salute erigi et casu affligi arbitrabantur: sic patria quoque civis cujusque et damna atque injurias tanquam sibi illatas vindicabat, et prosperitatis et gloriae illorum tanquam suae et propriae se participem sentiebat. Itaque Olympionicae honos in gloriam redundabat totius civitatis, qua cuncti cives laeti se efferebant, publicisque victorem muneribus et privilegiis honorabant (5).

Jam vero hae victoriae quantam praeberent gau-

(3) Plato ad Archytam Epist. IX. p. 358. unde expressit Cicero. Off. I. 7. Fin. II. 14.

(4) Rep. V. c. 10. p. 462.

(5) Hinc victores dicuntur στεφανοῦν τὴν πατρίδα. Simonid. LXVII. Anal. Brunck. T. I. p. 139. Pind. Nem. XI. 20. sq. Quantis honoribus et praemiis ornarentur a civibus, docet Paschal. de Coron. Lib. VI. impr. cap. 7. et 8. cf. Muret. V. L. XV. 7.

gaudio et hilaritati copiam, quales item poësi opportunitates, nemo non videt. Scilicet, certaminibus peractis, mos erat, ut vespere victores, cognatis, amicis vel civibus prosequentibus, solennes pompas ad Deorum aras gratiarum agendarum caussa ducerent, comissationes agerent, epulasque in vicinis locis ad id, ut videtur, destinatis celebrarent (1). Totus resonabat locus vocis et citharae cantu, cum amici et propinqui solennibus cantilenis et scoliis victorem honorarent (2). Mox e ludis domum redeuntibus novae pompae, religiones, epulae, comissationes, quae plerumque maximo apparatu, tota civitate spectante et gaudia celebrante, agitari solebant. Atque haec potissimum scena erat, in qua illa, de quibus agimus, carmina agebantur. Publicis enim his locis, sive in pompa aut comissatione, seu super epulas celebrabantur a choris, quorum hoc erat officium (3). Nonnunquam, praesertim in illustrium virorum laudibus, non unus, sed plures poëtae carmina proferebant, et inter se laudando victore concertabant. Cu-

(1) De solenni hoc more vid. Pindar. Ol. IX. init. Ol. VIII. 9. Böckh. Explic. ad Ol. IV. p. 143. Olympiae locum fuisse epulis destinatum indicat Pindar. Ol. XI. 45. (X. 57. ed. Heyn.) ad q. l. Böckh..

(2) Ductum e Pindari Ol. XI. 79. (Ol. X. 92. Heyn.) Ἀείδετο δὲ κ. τ. λ. solennis quaedam Archilochi cantilena memoratur ab ipso Pindaro Ol. IX. init.

(3) Hinc carmina haec appellantur κῶμοι, ἐγκώμια. Vid. erudit. Thiersch. Prooem. ad Pind. Vers. Germ. p. 114. sqq.

Cujusmodi poëtarum et musicorum certamina festis diebus satis celebria apud Graecos fuerunt (4).

Haec igitur carmina quam illustrem olim tenuerint locum, ex iis, quae adhuc diximus, facile efficitur. Quanta enim ludorum et victoriarum, tantus erat horum carminum splendor et quasi amplitudo: ut non modo privatarum, sed etiam publicarum rerum, non hominum, sed Deorum essent ornamenta. Unde recte illa videntur, nomine ab eloquentia ducto, *Panegyrica* posse appellari: et sane, quae de harum orationum argumento Dionysius Halicarnasseus praecepit, admirabile est dictu, quantopere cum Pindaricis carminibus congruant (5). Itaque sponte intelligimus, quam late hic patuerit campus, quamque multas praebuerit poëtis laudandi canendique vias: qua de re paucis exponamus.

Primum poëtae laudibus propositi sunt Dii, tam ludorum praesides, quam patrii: ad Deos quippe majorum rerum omnium et initium et exitum Graeci referebant. Porro celebrandi victoris majores, quos plures ab antiquissima aetate et nobilissima origine, ut ab Hercule, Cadmo, Theseo, a Jove etiam aliisve Diis aut Heroibus stu-

(4) Ne de Tragicorum certaminibus dicam, hujusmodi fuere Rhapsodorum certamina, memorata ab Herod. V. 67. Athenaeo, XIV. p. 620. C. Platon. Jon pr. Lyricorum certamina ab ipsis saepius memorantur, ut a Simonid. fr. LVII. (Anal. Br. T. I. p. 137.) Bacchyl. XIX. (Ibid. p. 153.) Anacr. Hymn. Apoll. fragm. I. pr. al.

(5) Dionys. Hal. in libello, qui Τέχνη inscribitur, init. T. II. p. 33 Sylb.

ſtudebant repetere; adeo autem ſeduli et curioſi fuerunt in familiarum originibus inquirendis et praedicandis, ut logographi quondam exſtiterint, qui hoc unum ſibi opus ſumerent. Quod quamquam merito ridetur a Platone (1), haud miremur tamen, a lyricis poëtis id praecipue esſe uſurpatum, cum non minus carminum argumento, quam hominum ſtudiis et moribus egregie conveniret. Majorum enim laudes in illustribus viris praedicandis ſolennes erant, et illorum memoriâ celebrandâ ſuam quisque gloriam augeri et extolli arbitrabatur. Praeter majores civitas etiam carmine complectenda: ut a privatis laudibus ad publicas facile posſet poëta excurrere (2). Denique ipſius victoris ingenium, ſtudia, fortunae, laudes, etiam fauſtae pro ejus incolumitate preces multaque alia istis carminibus continentur. Jam vero videmus, quanta esſet materiae copia et varietas, quam poëta apis inſtar (ut poëtice loquar) circumvolitans et delibans (3) dulcisſimos victoribus hymnos pangeret. At fuerunt tamen, qui istud non ſatis perſpicerent et putarent, Pindarum, rerum inopia et neceſſitate coactum, tanquam in alienum fundum ita in

(1) Theaet. p. 175.

(2) Simili ratione Athenis utebantur oratores, in publicis funerum laudationibus καὶ τὴν πόλιν ἐγκωμιάζοντες κατὰ πάντας τρόπους, καὶ τοὺς τετελευτηκότας ἐν τῷ πολέμῳ, καὶ τοὺς προγόνους ἡμῶν ἅπαντας. Plato Menexeno, p. 235. cit. Thiersch, l. l. p. 130.

(3) Pind. Pyth. X. 83.

in mythologiam involasſe, ex qua ſuis carminibus ornatum quaereret. Atqui longe aliter et praeclarius de Pindarica poëſi existimandum. Videlicet ex antiquitatis traditionibus et mythis tanquam ex divino fonte Graecis omnia fere orta videbantur: hinc civitatum origines et familiarum ſtirpes, hinc artium, morum inſtitutorumque inventionem, hinc omnium virtutum, item vitiorum repetebant exempla. Ex quo intelligitur, et Pindari carmina et univerſam Graecorum poëſin maximam partem in fabulis exponendis et illustrandis debuisſe verſari, ut niſi hoc ornatu inſtructa poëſis vix posſe videretur conſtare (4). Haec de Pindari carminum argumento et materia; nunc de ejus arte et vi poëtica breviter est videndum.

Talis est omnino horum carminum habitus, qualis rerum et argumentorum ſplendori et dignitati optime congruat. Sed quominus nostra ratione de Pindaro judicemus, antiquorum et intelligentisſimorum judicum facit auctoritas: quorum ſententiam expresſit Quinctilianus, cujus hoc nobile est de illo judicium. „ Novem lyricorum, inquit, longe Pindarus princeps, ſpiritûs magnificentia, ſen-

(4) Hinc intelligitur id, quod Plutarch. dicit de aud. poëtis. 16. C. θυσίας μὲν ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον καὶ ἀψευδῆ ποίησιν. cf. Plato Phaed. cap. IV. p. 9. Wyttenb. ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλει ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους.

sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et veluti quodam eloquentiae flumine (1)." Longum est et ab hoc loco alienum haec singula persequi (2); universe autem hoc omnes mihi assentientur, tantam esse Pindari divinitatem, tantam ad animos vel deliniendos vel movendos et extollendos vim et efficaciam, ut, qui his dotibus eum adaequaret, nedum superaret, tota Graecorum antiquitas habuerit fortasse neminem. Ecquis enim divinum poëtae ingenium non sentit et admiratur, cum rerum cogitationumqne copia repletus et impulsus, amnis instar monte decurrentis fervet immensusque ruit ore profundo: neque tamen ita effrenate ruit, ut in omnes partes libere se effundat, neque ullis legibus teneatur; immo potius intra certos fere limites se continet, et modo lenius, modo incitatius decurrens, veluti per varium regionis tractum ad metam tendit. In narrationibus, quas Epicas appellant, et in descriptionibus incredibile est, quantam habeat dictionis vim et efficacitatem, quam mira venustate et suavitate conditam. Comparationibus, tropis, figuris frequenter orationem illuminat; interdum audacius iis utitur,

(1) Quinctil. I. O. X. 1. 6. cf. Dionys. Halicarn. T. II. p. 68. ed. Sylb.

(2) De Pindaricae poëseos ratione et dotibus eleganter exposuerunt viri eruditissimi, Jacobs, Addit. ad Sulzeri Theoriam Art. Vol. I. P. I. p. 55. sqq. tum imprimis Thiersch. Proöem. laud. p. 118. sqq.

tur, adeo ut ad Orientalium ſplendorem et magniloquentiam accedat.

Magnam vero dignitatem ejus carminibus afferunt in primis ſententiae et praecepta, quibus ea tota ſunt perfuſa. Nimirum ipſa ſacra, Deorum religio, heroumque traditiones, item varia rerum humanarum fata, fortunae, vicisſitudines, nec minus hominum mores, vitia aut virtutes, haec igitur omnia in ſapientisſimi poëtae mente tantam gignebant cogitationum ſententiarumque copiam, ut ſponte iis carmina abundarent. Quodſi cogitemus haec carmina non privatis hominum circulis, ſed publico ſpectaculo festisque diebus fere fuiſſe accommodata, ſanequam tempori et loco aptisſima haec ſententiarum gravitas habeatur necesſe est. Videmur nobis Deorum nuntium aut vatem videre, qui praeceptis homines format, ad virtutem, temperantiam, pietatem admonet; ab invidia, fastu, inſolentia deterret, fortunaeque vicisſitudines aequo animo ferre docet. Itaque ſi mente nullis rebus districta et libera Pindarum legimus, incredibile est, quantopere ejus voce moveamur, ejusque cum magnificentiam, tum veritatem et ſapientiam admiremur, quaſi ſponte Platonicum illud cogitantes: *θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων· διὰ τούτου δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς* (3).

Cum his vero dotibus, quibus ſe commendat Pindarus, non est disſimulandum, majorem quandam

(3) Plat. Ion. p. 534. ubi proprie dicit *διὰ τούτων*, quandoquidem de poëtis univerſe loquitur.

dam legendi difficultatem esse conjunctam. Habet enim non vulgare, sed proprium dicendi genus; conspicuum illud interdum sententiarum orationisque contractione et brevitate, verborum commutatione, compositionis austeritate (1): quibus rebus insueti facile ab ipso aditu repelli et deterreri possint. Verum hic praesertim valet Hesiodeum illud: τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα (2). Aditus quidem arduus sit et difficilis; at quo major est Pindari splendor et praestantia, eo magis enitendum, ut, superatis difficultatibus, ad illud fastigium evehamur, ex quo, quasi diffusa nube, omnia plenius atque clarius perspicere et intelligere possimus.

(1) Dionys. Hal. Περὶ συνθέσ. ὀνομ. T. II. p. 22. extr. ed. Sylb.
(2) Hesiod. Ἔργ. 289.



ΠΙΝΔΑΡΟΥ

ΕΠΙΝΙΚΙΩΝ ΤΡΙΑ,

ΟΛΥΜΠΙΩΝ Β′.

ΘΗΡΩΝΙ ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩι.

"Αρματι.

ARGUMENTUM.

Carmen hoc in laudem ſcriptum est Theronis, Agrigentinorum tyranni, qui Olympiae curru vicerat, e Boeckhii ſententia, Ol. LXXVI. a. C. 474. quamquam vulgo ad Ol. LXXVII. referunt; ſed ſuperioris jam Olympiadis fine obiisſe videtur Theron. Praeclaro ac plane lyrico exordio poëta ad Theronis ejusque majorum laudes, virtutes, fortunam praedicandam accedit: qua felicitate ut perpetuo eorum genus fruatur, a Jove implorat. 1—16. Inde ad Theronis ſtirpem enarrandam pergit, cujus memoriam inde a gente Cad-

Cadmea repetit: quae gens cum maximam fortunae varietatem passa, multisque etiam ac diris calamitatibus afflicta fuisset, hoc argumentum ita Pindarus tractavit, ut nec Theroni acerba illius memoriae recordatio, et ad rerum humanarum casus perspiciendos utilissimum esset exemplum. Memorat igitur Cadmi filias, memorat Lajum et Oedipodem, hujusque filiorum, Eteoclis et Polynicis, fatalem caedem, denique Thersandrum Polynice natum, a quo Theronis majores ferebantur originem duxisse. In his autem memorandis plurimas inseruit sententias, quibus et fortunae inconstantiam atque varietatem et fatorum acerbitatem egregie declarat. 17—49. Jam denuo ad Theronem delabitur, laudat ejus felicitatem victoria partam, praesertim vero opes virtutibus ornatas, quae et ad vitae fata ferenda, et beatos post mortem homines reddendos optimum sint praesidium. Deinde liberius digressus, futurum post hanc vitam hominum statum, praecipue beatam justorum sortem divinitus adumbrat. 50—91. Hinc mentis impetu elatus, suaeque sibi divinitatis conscius superbiam sumit, suamque, depressis aemulis, praestantiam jactat. 91—97. Tandem redit ad Theronem, cujus infinitam benignitatem, invidiosorum hominum obtrectatione vituperata, summis laudibus extollit. 98—110.

Aliter et quidem multo subtilius carminis argumentum veteres grammatici et interpretes explicue-

cuerunt. Hi existimabant, totum hoc carmen tectum quendam habere ſenſum, et ad Theronis res gestas, praecipue ad disſenſiones et offenſas; quas ille partim cum Hierone Syracuſano, partim cum Capye et Hippocrate, propinquis ſuis, habuit, obſcure referri. Ad haec igitur omnia fere Pindari dicta et ſententias accommodare ſtudentes, multa ex Hieronis vita retulerunt, quae viderentur huc pertinere: inter quae ficta etiam nonnulla vel parum accurate tradita; quae docte explanavit Boeckhius in introductione hujus carminis. At idem tamen in conjiciendo antiquorum ſecutus est exemplum, ita ut viri acumen et diligentiam non posſis non admirari; quodſi quaeras, quo fundamento ista nitantur, vereor, ut ſatis certum illud et ſtabile ſit, aut ſatis tuto posſis in eo confidere. Nam ſi ea, quae Boeckhius indicat, revera intellexerit Pindarus, hic profecto tam obſcure locutus est, ut, ſi aenigmata voluisſet proferre, vix obscurius loqui potuisſet. Sed omnis istius conjecturae anſam dederunt praecipue ipſius haec Pindari verba, vs. 91—94.: πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη φωνᾶντα συνετοῖσιν, ἐς δὲ τόπαν ἑρμηνέων χατίζει. i. e. *multae mihi ſunt in pharetra ſagittae, ſonantes intelligentibus, in vulgus autem interpretibus indigent.* Quae autem verba non ad totius carminis ſenſum, ſed ad ea, quae proximis verſibns de futuro post mortem ſtatu vaticinatus erat, referenda ſunt. Hanc igitur lubricam et incertam interpretandi rationem relin-

linquere malui, cum ipſum carmen per ſe ſatis clarum et explicatum conjectura haud videretur egere.

Στροφὴ α΄.

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;
ἤτοι Πίσα μὲν Διός· Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης
ἀκρόθινα πολέμου·
Θήρωνα δὲ τετραορίας ἕνεκα νικαφόρου
γεγωνητέον ὀπὶ, δίκαιον ξένον,

ἔρει-

6. *γεγωνητέον ὀπὶ*. Vocabulum *ὀπὶ* frigere h. l. judicarunt Herman. et Boeckh. quorum hic correxit: *ὄπιν δίκαιον ξένον*, h. e. *δίκαιον κατὰ τὴν θεῶν ὄπιν* (ab *ὄπις*), *pietate justum hospitem*; ille autem nuperrime legi voluit: *ὄπι δίκαιον ξένων*, i. e. *erga hospites pietate justum*. Sed neutra harum emendationum, ut mihi quidem videtur, perſpicuitate et elegantia est ſpectabilis. Forte quis legendum putet:

Θήρωνα δὲ τετραορίας ἕνεκα νικαφόρῳ
γεγωνητέον ὀπὶ. —

i. e. *voce ſ. hymno victoriali*. Similiter *ἀγλαΐαν νικαφόρον* dixit Ol. XIII. 14. *στεφάνων νικαφόρων* Isthm. I. 22. Attamen habet vulg. lect. quo ſe tueatur. Vid. Annot.

ἔρεισμ' Ἀκράγαντος,
εὐωνύμων τε πατέρων ἄωτον ὀρθόπολιν·

Ἀντιστροφὴ α'.

καμόντες οἳ πολλὰ θυμῷ,
ἱερὸν ἔσχον οἴκημα ποταμοῦ, Σικελίας τ' ἔσαν
ὀφθαλμὸς, αἰὼν τ' ἔφεπε μόρσιμος, πλοῦτον τε καὶ
γνησίαις ἐπ' ἀρεταῖς. [χάριν ἄγων
ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας, ἕδος Ὀλύμπου νέμων
ἀέθλων τε κορυφὰν πόρον τ' Ἀλφεοῦ,
ἰανθεὶς ἀοιδαῖς,
εὔφρων ἄρουραν ἔτι πατρίαν σφίσιν κόμισον

Ἐπῳδὸς α'.

λοιπῷ γένει. τῶν δὲ πεπραγμένων
ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀποίητον οὐδ' ἂν
χρόνος, ὁ πάντων πατὴρ, δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος·
λάθα δὲ πότμῳ σὺν εὐδαίμονι γένοιτ' ἄν.
ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει
παλίγκοτον δαμασθέν,

Στροφὴ β'.

ὅταν θεοῦ μοῖρα πέμπῃ
ἀνεκὰς ὄλβον ὑψηλόν. ἕπεται δὲ λόγος εὐθρόνοις
Κάδμοιο κούραις, ἔπαθον αἳ μεγάλα· πένθος δὲ πιτνεῖ
κρεσσόνων πρὸς ἀγαθῶν. [βαρὺ

11. ὀφθαλμός. Panw. h. l. quod poëta de pluribus, non de uno loquitur, malebat ὀφθαλμοί: quaſi non una omnes eſſent ſocietate contenti, ac tot haberentur Siciliae lumina, quot Theronis majores.

25. πένθος δὲ πιτνεῖ. Boeckh. correxit δ' ἐπίτνει; quod non neceſſarium videtur.

ζώει μὲν ἐν Ὀλυμπίοις ἀποθανοῖσα βρόμῳ
κεραυνοῦ τανυέθειρα Σεμέλα, φιλεῖ
δέ μιν Παλλὰς αἰεὶ,
καὶ Ζεὺς πατὴρ μάλα, φιλεῖ δὲ παῖς ὁ κισσοφόρος.

Ἀντιςροφὴ β΄.

λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ
μετὰ κόραισι Νηρῆος ἁλίαις βίοτον ἄφθιτον
Ἰνοῖ τετάχθαι τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον. ἤτοι βροτῶν γε
πεῖρας οὔ τι θανάτου, [κέκριται
οὐδ' ἀσύχιμον ἁμέραν ὁπότε, παῖδ' ἁλίου,
ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν·
ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι
εὐθυμιᾶν τε μετὰ καὶ πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν.

Ἐπῳδὸς β΄.

οὕτω δὲ Μοῖρ', ἅτε πατρώϊον
τῶνδ' ἔχει τὸν εὔφρονα πότμον, θεόρτῳ σὺν ὄλβῳ
ἐπί τι καὶ πῆμ' ἄγει παλιντράπελον ἄλλῳ χρόνῳ·
ἐξ οὗ περ ἔκτεινε Λᾶον μόριμος υἱὸς

συν-

33. γε κέκριται. γε ex melioribus codd. revocavit Boeckh. Ad metrum nihil interest.

37. ῥοαὶ. Ita semper fere accentus poni solet, contra vett. grammaticorum sententiam, qui hoc vocabulorum genus ita notari jubent: ῥοιά, ῥόα· ποιά, πόα· χροιά, χρόα· et simili modo caetera: quod monet Oudendorp. ad Thomam Mag. p. 786.

40. τῶν δ'. Quidam libri habent τόνδ', frequenti admodum litterarum commutatione, idque praeferebat Heynius; sed vulgatam lectionem merito probavit Boeckh.

42. ἐξ οὗ περ. κ. τ. λ. Hi vss. cum praecedentibus durius conjunguntur. Equidem

συναντόμενος, ἐν δὲ Πυθῶνι χρησθὲν
παλαίφατον τέλεσσεν.

Στροφὴ γ'.

ἰδοῖσα δ' ὀξεῖ' Ἐριννὺς
ἔπεφνέ οἱ σὺν ἀλλαλοφονίᾳ γένος Ἀρήϊον.
λείφθη δὲ Θέρσανδρος ἐριπόντι Πολυνείκει, νέοις ἐν
ἐν μάχαις τε πολέμου [ἀέθλοις
τιμώμενος, Ἀδραςιδᾶν θάλος ἀρωγὸν δόμοις·
ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν πρέπει

τὸν

dem interpunctionem leviter ita mutari velim: ut praecedens sententia, post ἄλλῳ χρόνῳ, majore interpunctione claudatur; contra post τέλεσσεν pro puncto commate posito, hi vss. cum sequentibus uno ambitu conjungantur; hoc modo: ἄλλῳ χρόνῳ. ἐξ οὗ περ — τέλεσσεν, ἰδοῖσα δ' ὀξεῖ' Ἐριννὺς, κ. τ. λ. Quae ratio in mentem jam venerat Heynio, sed obstare putabat particulam δ' post ἰδοῖσα, in apodosi collocatam, in quo, ni fallor, haerendum non erat. Quod autem una sententia in duas dividitur strophas, id in lyricis non est insolens. Caeterum vid. Annot.

46. ἔπεφνέ οἱ. Ita vulgatum πέφνεν ἑοῖ secundum poëticam scribendi normam emendavit Herman. ad Orpheum, p. 787. idque codd. auctoritate probavit Boeckhius.

50. ὅθεν σπέρμ. ἔχοντι. Sic omnes antiqui legerunt; quamquam interpunxerunt varie. Alii, ut Didymus, distinxerunt post ῥίζαν, et ἔχοντι accipiunt pro ἔχουσι; quos secutus est Boeckh. Aristarchus ita, ut nos fecimus, scripsit, casus dissentientes ἔχοντι — τὸν Αἰνησιδάμου conjungens, quasi scriptum esset: ἔχοντι — τῷ Αἰνησ. Quem tamen dissensum non ferens Schmid. sine codice correxit: ἔχοντα — τὸν Αἰνησ. Hoc probavit Heynius, aliique. Equidem Aristarcheam lectionem non nimis festinanter repudiare ausus, exemplis eam firmare conatus sum in Annot.

τὸν Αἰνητιδάμου
ἐγκωμίων τε μελέων λυρᾶν τε τυγχανέμεν.

'Αντιςροφὴ γ'.

'Ολυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτός
γέρας ἔδεκτο, Πυθῶνι δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεόν
'Ισθμοῖ τε κοιναὶ χάριτες ἄνθεα τεθρίππων δυωδεκα-
ἄγαγον. τὸ δὲ τυχεῖν [δρόμων
πειρώμενον ἀγωνίας, παραλύει δυσφρόνων.
ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος
φέρει τῶν τε καὶ τῶν
καιρόν, βαθεῖαν ὑπέχων μέριμναν ἀγροτέραν,

'Επῳδὸς γ'.

ἀςὴρ ἀρίζαλος, ἐτήτυμον
ἀνδρὶ φέγγος. εἰ δέ μιν ἔχων τις, οἶδεν τὸ μέλλον,
ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ

ἀλι-

57. δυςφρόνων. Cod. Bodl. β et γ. δυσφορῶν, quod ex interpretatione ortum.

61. ἐτήτυμον Vulgo edebatur ἀλαθινόν, quae vox poëtis fere ignota; plures codd. habent ἐτυμώτατον, et quidam olim legerunt ἔτυμον. Vera haud dubie lectio est, quam ex Rom. marginis annot. recepit Boeckh. ἐτήτυμον: inde natum ἐτυμώτατον et ἔτυμον ex confusione librariorum, quod cum metro repugnaret, substituerunt glossam ἀλαθινόν, ut ostendit Boeckh. nott. crit. Idem Doricum ἀρίζαλος rescripsit pro Vulg. ἀρίζηλος.

62. εἰ δέ μιν ἔχων. Vulg. ἔχει. Sed altera lectio grammaticorum vett. et quorundam codd. auctoritate nititur: quam propter formae dictionisque insolentiam facile in ἔχει mutarunt. Boeckh. conj. εἴ γε μιν ἔχων, quod non placet.

ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις, ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

Στροφὴ δ΄.

Ἶσον δὲ νύκτεσσιν αἰεὶ,
ἶσα δ' ἐν ἁμέραις ἅλιον ἔχοντες ἀπονέστερον
ἐσλοὶ νέμονται βίοτον, οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς [ἀκμᾷ
οὐδὲ πόντιον ὕδωρ
κεινὰν παρὰ δίαιταν· ἀλλὰ παρὰ μὲν τιμίοις
θεῶν, οἵτινες ἔχαιρον εὐορκίαις,
ἄδακρυν νέμονται
αἰῶνα· τοὶ δ' ἀπροσόρατον ὀκχέοντι πόνον.

Ἀντιστροφὴ δ΄.

Ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐστρίς
ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχὰν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν παρὰ Κρόνου τύρσιν· ἔνθα [μακάρων
νᾶσος ὠκεανίδες
αὖραι περιπνέοισιν· ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,

τὰ

69. νέμονται. Hoc verbum vitii premitur ſuspicione, tum quia optimi quidam codd. habent δέρκονται, tum quod idem verbum paulio post repetitur vs. 73. At δέρκονται metro repugnat. Unde varias conjecturas protulere VV. DD. quarum maxime cum librorum ſcriptura congruit ea, qua legitur δέκονται (i. e. δέχονται) βίοτον. At hujus verbi tempus certe praeteritum requirebatur, ἐδέκοντο vel ἐδέξαντο. Quamobrem in vulg. adhuc acquiescendum duxi.

69 ἐν χερὸς ἀκμᾷ Hanc lect. optimi codd. praebent pro vulg. ἀλκᾷ χερῶν, quod minus elegans.

77. ἔτειλαν. Quidam ἔστειλαν, quod est gloſſema. Mox νᾶσος (Dorice pro νήσους) a Caſaubono olim jam commendatum, e codd. ſcripſit Boeckh. Vulgo νᾶσον.

τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ᾽ ἀγλαῶν δενδρέων,
ὕδωρ δ᾽ ἄλλα φέρβει·
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ ςεφάνοις·

Ἐπῳδὸς δ'.

βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος·
ὃν πατὴρ ἔχει Κρόνος ἑτοῖμον αὐτῷ πάρεδρον,
πόσις ὁ πάντων Ῥέας ὑπέρτατον ἐχοίσας θρόνον.
Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τοῖσιν ἀλέγονται·
Ἀχιλλέα τ' ἔνεικ', ἐπεὶ Ζηνὸς ἦτορ
λιταῖς ἔπεισε, μάτηρ·

Στροφὴ έ.

ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε, Τροίας
ἄμαχον ἀςραβῆ κίονα, Κύκνον τε θανάτῳ πόρεν,

Ἀ-

82. ὅρμοισι — καὶ ςεφάνοις. In hoc vocabulo vitium haerere merito censent VV. DD. Nam primum, quam durum sit post ςεφάνοις intelligi κεφαλάς, quis non sentit? tum quoque ipsum illud ςεφάνοις post praecedens ὅρμοισι, otiosum, nec necessarium est; cum ὅρμοι generatim *corollas* significent. Pauw. conjecit κεφαλὰς pro ςεφάνοις, ductu vett. criticorum, qui haec annotarunt: ὅρμοισι· τοῖς ἐνέρμασι, οἷς τὰς χεῖρας ςεφανοῦνται καὶ τὰς κεφαλάς. Quam lect. recepit Boeckh. Hermannus conj. ςεφάνας, h. τὴν τελευταίαν τῶν τριχῶν περίοδον, teste Polluce: eleganter; modo hoc significatione veterum poëtarum usu esset probatum. Vid. Boeckh. in Explicatt. Nec tamen κεφαλάς satis mihi placet. Magis poëticum erit, opinor, si scribatur κροτάφοις. Ita Anacr. Od. XLII.

ςεφανίσκους δ' ὑακίνθων
κροτάφοισιν ἀμφιπλέξας.

Cf. Od. VI. init.

'Αοῦς τε παῖδ' Αἰθίοπα. πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα
ἔνδον ἐντὶ Φαρέτρας [βέλη
Φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς δὲ τόπαν ἑρμηνέων
χατίζει· σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ·
μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὣς, ἄκραντα γαρύετον

'Αντιςροφὴ έ.

Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.
ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον, ἄγε θυμὲ, τίνα βάλλομεν
ἐκ μαλθακᾶς αὖτε φρενὸς εὐκλέας ὀϊςοὺς ἰέντες; ἐπί τοι
'Ακράγαντι τανύσαις
αὐδάσομαι ἐνόρκιον λόγον ἀλαθεῖ νόῳ,
τεκεῖν μή τιν' ἑκατόν γε ἐτέων πόλιν
φίλοις ἄνδρα μᾶλλον
εὐεργέταν πραπίσιν ἀφθονέςερόν τε χέρα

'Επῳδὸς έ.

Θήρωνος. ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος

οὐ

93. τόπαν. Ita Boeckh. scripsit pro vulg. τὸ πᾶν, quandoquidem longa syllaba metro repugnat, et παν in compositis breve est.

96. γαρύετον. Haec est lectio omnium librorum, quam tamen Heynius, e conj. Dawesii, mutavit in Infinit. γαρυέμεν, ita jungens: λάβροι γαρυέμεν. Dualis numerus pro plurali accipiendus.

100. τανύσαις αὐδάσομαι. Boeckh. legit: τανύσαις· αὐδάσομεν κ. τ. λ. atque illud non pro participio, sed pro 2 pers. Optativi habet. Bona quidem haec lectio; attamen non tantum mihi valent viri docti rationes, ut ad vulg. mutandum adducar.

105. ἔβα. Nonnulli libri ἐπέβα, quod e glossemate natum videtur. Sq. vs. pro ὑπ' ἀνδρῶν, malim ἀπ' ἀνδρῶν.

οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν,
τὸ λαλαγῆσαι ἐθέλων κρύφον τιθέμεν ἐσλῶν καλοῖς
ἔργοις. ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν·
ἐκεῖνος ὅσα χάρματ' ἄλλοις ἔθηκεν,
τίς ἂν φράσαι δύναιτο;

107. κρύφον τιθέμεν. Sic e conject. Hermanni edidi pro vulg. κρυφὸν τε θέμεν. Vid. Annot. Mox καλοῖς pro κακοῖς ex aliquot libris et Schol. recte editum. Permutatio frequens: vid. e. g. Schutz. ad Aefchyli Choeph. 142. Boisfonad. ad Eunap. Annot. p. 368. 373.



ΟΛΥΜ-

ΟΛΥΜΠΙΩΝ ΣΤ΄.

ΑΓΗΣΙΑι ΣΥΡΑΚΟΣΙΩι.

Ἀπήνῃ.

ARGUMENTUM.

Agesias Syracusanus nobilitate et generis splendore excelluit. Erat enim e gente Iamidarum, quae sacerdotium in oraculo Jovis Olympico a majoribus traditum, haereditario jure possidebat. Quem morem quondam in Graecia fuisse, satis notum est. Eodem munere Clytidae in Elide, Athenis Eumolpidae, Cinyrae posteri in insula Cypro, ne plures memorem, praediti erant. Igitur Agesias et ipse Olympiae jus au-

auguriorum habuit. Victoriam in ludis Olympicis reportavit, verosimiliter Ol. LXXVIII. ut judicat Boeckhius, curru mulabus juncto; quod certaminis genus tredecies ibi actum est, inde ab Ol. LXX. usque ad Ol. LXXXIV. teste Pausania, IV. 9. p. 395 sq. quod firmavit Larcher. ad Herod. T. III. p. 433. Boeckh. ad Pind. Schol. p. 118 sq.

Hunc igitur poëta victorem celebraturus, primum praecipit, illustris viri encomio decere, id quod ipse facit praeclare, illustre vestibulum praeponi. Deinde cum honores illius et dignitatem, tum virtutem victoria reportata conspicuam magnifice laudat. Confert Agesiam cum Amphiarao, quem non minus prudentem augurem, quam in bello strenuum fuisse praedicabant. 1--21. Hinc ad illius gentem revehitur, cujus fabulosam originem celebrat. Stirpis progenitor ferebatur Iamus, Apollinis ex Euadna filius, aequalis Herculi, quem infantem, Diis auspicibus, in Arcadia natum, mox juvenem in Elidem profectum, ibique augurii et sacerdotii honore, in Jovis ara nuper ab Hercule condita, ornatum esse ab Apolline enarrat. Hoc episodium tam lyrica ingenii dictionisque vi, quam describendi et narrandi venustate et arte mirifice commendatur. 22--70. Ab Iamo ad illustrem Iamidarum gentem ipsumque Agesiam rursus deducitur; tuetur eum ab imminenti invidia; victoriam donum praedicat pro majorum pietate a Mercurio datum. 71--81. Hic autem poëta in recordationem adducitur fabulosae traditionis, quae Thebarum originem ex Arcadia repetebat. Celebrat igitur suae gen-

gentis cum victore cognationem, atque veterem ignobilitatis famam ab ea depellit. Tum vertit se ad Agesiae civitatem, Syracusas, ubi tum rex Hiero florebat. Cujus virtute, pietate, gloria breviter laudata, victorem ei commendat. Tandem faustis precibus illum prosecutus carmen claudit. 92—105.

Cantatum esse hoc encomium in Arcadia, et quidem in urbe Stymphali, cum ex ejus argumento, quod praesertim in rebus Arcadicis versatur, colligi possit, tum ex ipsis Pindari verbis cognoscitur; cum dicat vs. 99 sq. victoris pompam Stymphalo profecturam Syracusas; quam utramque civitatem victoris domum appellat. Ex quo recte collegit Boeckhius, Stymphali etiam jus civitatis habuisse Agesiam: idque jam a majoribus traditum ei fuisse videtur. Cujus rei ratio ex Arcadicis originibus potest intelligi. Stymphalus enim urbs condita ferebatur a Stymphalo, Aepyti fratre (Pausan. VIII. p. 605.); in quam gentem Iamus ejusque mater suscepti et velut adoptati fuerant: unde illi Agesiae majores a Pindaro dicuntur, vs. 77. Igitur sive cognatione, sive quod nonnulli ex Agesiae majoribus in hac civitate quondam habitaverant, hoc jus ipse quoque retinuisse videtur. Eandem ob causam Metope, quae Thebes (h. e. Thebarum) mater habetur, Stymphalica, eademque cum Agesiae stirpe cognata, sive ejusdem civitatis socia a Pindaro dicitur, vs. 84. Haec igitur erat quasi germana Agesiae patria, altera autem deinde quaesita, cum ex illius majoribus

qui-

quidam una cum Corinthiorum colonia in Siciliam profecti, Syracufarum facti funt conditores, a quibus deinceps prognatus Agefias: quod monet Schol. ad vs. 6.

Στροφὴ ά.

Χρυσέας ὑποςάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου
κίονας, ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον,
πάξομεν· ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
χρὴ θέμεν τηλαυγές. εἰ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας
βωμῷ τε μαντείῳ ταμίας Διὸς ἐν Πίσᾳ,
συνοικιςήρ τε τᾶν κλεινᾶν Συρακοσσᾶν, τίνα κεν Φύ-
[γοι ὕμνον
κεῖνος ἀνὴρ ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀςῶν ἐν ἱμερταῖς
[ἀοιδαῖς;

Ἀντιςροφὴ ά.

Ἴςω γὰρ ἐν τούτῳ πεδίλῳ δαιμόνιον πόδ' ἔχων
Σωςράτου υἱός. ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταί
οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις

τί-

3. ἀρχομένου δ' ἔργου. Hanc lect. recte e codd. revocavit Boeckhius, pro Lucianeo, ἀρχομένους.

7. βωμῷ τε μαντείῳ. Schmid. ex nonnullis libris protulit βωμῶ τε μαντείω, fed genitivus in ω Pindaro non ufitatus, tum etiam dativus exquifitior est.

τίμιαι· πολλοὶ δέ μέμνανται, καλὸν εἴ τι ποναθῇ.
Ἀγησία, τὶν δ᾽ αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐν δίκᾳ
ἀπὸ γλώσσας Ἄδραςος μάντιν Οἰκλείδαν ποτ᾽ ἐς [Ἀμφιάρηον
φθέγξατ᾽, ἐπεὶ κατὰ γαῖ᾽ αὐτόν τέ νιν καὶ φαιδίμας [ἵππους ἔμαρψεν.

Ἐπῳδὸς ά.

ἑπτὰ δ᾽ ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τελεσθέντων, Ταλαϊονίδας
εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος· Ποθέω ςρατιᾶς [ὀφθαλμὸν ἐμᾶς,
ἀμφότερον μάντιν τ᾽ ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι. [τὸ καὶ
ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ πάρεςι Συρακοσίῳ.
οὔτε δύςηρις ἐὼν, οὔτ᾽ ὢν φιλόνεικος ἄγαν,
καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις τοῦτό γέ οἱ σαφέως
μαρτυρήσω· μελίφθογγοι δ᾽ ἐπιτρέψοντι Μοῖσαι.

Στροφὴ β΄.

Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων
ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ᾽ ἐν καθαρᾷ
βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν
καὶ γένος· κεῖναι γὰρ ἐξ ἀλλᾶν ὁδὸν ἁγεμονεῦσαι ταύ-

15. τελεσθέντων. Temere Pauw. rescribendum esse censuit τελεσθεισῶν.

18 sq. πάρεςι. Vulgata lectio est: νῦν πάρεστι, inaudita syncope; sq. autem vs. sic legebatur: οὐ φιλόνεικος ἐὼν, οὔτ᾽ ὢν δύςεριс τις ἄγαν. Utrumque interpolatorem olet, de metro sollicitum. Germanam lectionem, in nonnullis codd. inventam, probavit Boekh. quem secutus sum.

ταύταν ἐπίςαντι, ςεφάνους ἐν Ὀλυμπίᾳ
ἐπεὶ δέξαντο· χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν
[αὐταῖς·
πρὸς Πιτάναν δὲ παρ᾽ Εὐρώτα πόρον δεῖ σάμερόν γ᾽
[ἐλθεῖν ἐν ὥρᾳ·

Ἀντιςροφὴ β΄.

ἅ τοι Ποσειδάωνι μιχθεῖσα Κρονίῳ λέγεται
παῖδ᾽ ἰοβόςρυχον Εὐάδναν τεκέμεν.
κρύψε δὲ παρθενίαν ὠδῖνα κόλποις·
κυρίῳ δ᾽ ἐν μηνὶ πέμποισ᾽ ἀμφιπόλους ἐκέλευσέν
ἥρωϊ πορσαίνειν δόμεν Εἰλατίδᾳ βρέφος,
ὃς ἀνδρῶν Ἀρκάδων ἄνασσε Φαισάνᾳ, λάχε τ᾽ Ἀλ-
[φεὸν οἰκεῖν·
ἔνθα τραφεῖσ᾽ ὑπ᾽ Ἀπόλλωνι γλυκείας πρῶτον ἔψαυσ᾽
[Ἀφροδίτας.

Ἐπῳδὸς β΄.

οὐδ᾽ ἔλαθ᾽ Αἴπυτον ἐν παντὶ χρόνῳ κλέπτοισα θεοῖο
[γόνον.
ἀλλ᾽ ὁ μὲν Πυθῶνάδ᾽ ἐν θυμῷ πιέσαις χόλον οὐ φα-
[τὸν ὀξείᾳ μελέτᾳ
ᾤχετ᾽ ἰὼν μαντευσόμενος ταύτας περ᾽ ἀτλάτου πάθας.
ἁ δὲ φοινικόκροκον ζώναν καταθηκαμένα

κάλ-

28. σάμερόν γ᾽ ἐλθεῖν. γ᾽ a multis codd. abest. Boeckh. recte, puto, emendavit σάμερόν μ᾽ ἐλθεῖν.

38. ταύτας περ᾽ ἀτλάτου. περ᾽ Aeolice, pro περὶ scrib. ut jam docuit Schmid. h. l. et ad Pyth. III. p. 119 sq. item Boeckh. Minus recte Heynius scripsit περ, et ταύτας pendere putavit a suppresso ἕνεκα.

κάλπιδά τ' ἀργυρέαν, λόχμας ὑπὸ κυανέας
τίκτε θεόφρονα κοῦρον. τᾷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας
πραΰμητίν τ' Ἐλευθὼ συμπαρέστασέν τε Μοίρας·

Στροφὴ γ΄.

ἦλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠδῖνός τ' ἐρατᾶς Ἴαμος
ἐς φάος αὐτίκα. τὸν μὲν κνιζομένα
λεῖπε χαμαί· δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν
δαιμόνων βουλαῖσιν ἐθρέψαντο δράκοντες ἀμεμφεῖ
ἰῷ μελισσᾶν καδόμενοι. βασιλεὺς δ' ἐπεὶ
πετραέσσας ἐλαύνων ἵκετ' ἐκ Πυθῶνος, ἅπαντας ἐν οἴκῳ
εἴρετο παῖδα, τὸν Εὐάδνα τέκοι· Φοίβου γὰρ αὐτὸν φᾶ
[γεγάκειν

Ἀντιστροφὴ γ΄.

πατρὸς, περὶ θνατῶν δ' ἔσεσθαι μάντιν ἐπιχθονίοις
ἔξοχον, οὐδέ ποτ' ἐκλείψειν γενεάν.
ὡς ἄρα μάνυε. τοὶ δ' οὔτ' ὦν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἰδεῖν εὔχοντο πεμπταῖον γεγεναμένον. ἀλλ' ἐν
κέ-

42. Ἐλευθὼ συμπαρέστασεν. Quidam libri habent Εἰλείθυιαν παρέστασεν. Sed Εἰλείθυιαν vocem usitatiorem, tanquam glossema apposuerunt: ut Hesychius: Ἐλευθώ. Εἰλήθυια. Unde cum in textum irrepsisset, metri caussa scriptum est παρέστασεν. Vid. Boeckh.

43. ἦλθεν δ' ὑπὸ κ. τ. λ. Varie haec VV. DD. tentarunt. Pauw. emendat ἀπὸ σπλάγχνων, quod mihi ipsi olim placuit, si ἀπὸ pro ἐξ accipiatur: ut Pyth. IV. 225. Callimach. Dian. 25. Porro Mathaei pro ἐρατᾶς corrigit ἐρατὸν γ'—, ut referatur ad φάος. Sed locus est sanissimus; rectam modo interpretationem postulat.

53. sq. ἀλλ' ἐν κέκρυπτο. Vulgo scrib. ἐγκέκρυπτο, inter duos

κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ βατίᾳ τ' ἐν ἀπειράτῳ,
ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος [ἁβρὸν
σῶμα· τὸ καὶ κατεφάμιξεν καλεῖσθαί μιν χρόνῳ [σύμπαντι μάτηρ

Ἐπῳδὸς γ'.

τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον. τερπνᾶς δ' ἐπεὶ χρυσοςεφά- [νοιο λάβεν
καρπὸν Ἥβας, Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβὰς ἐκάλεσσε [Ποσειδᾶν' εὐρυβίαν,
ὃν πρόγονον, καὶ τοξοφόρον Δάλου θεοδμάτας σκοπὸν,
αἰτέων λαοτρόφον τιμάν τιν' ἐᾷ κεφαλᾷ,

πα-

duos vsſ. diviſum; quod cum metro repugnaret, Boeckh. correxit.

54. ἀπειράτῳ. Nonnulli codd. ἀπειράντῳ. Heynius conj. ἀπειρίτῳ, ideo, quod penultimam in ἀπειράτῳ, quae brevis requiritur, longam esſe putabat. In quo eum erraſſe, demonſtravit Boeckh. Ducitur a πειράω, πειράζω, unde ἀπείραςος et ἀπείρᾰτος, ut ἐραςὸς et ἐρᾰτός, θεμιςὸς et θεμῐτός. Similiter ἀδάμᾰτω apud Theocr. Id. XV. 4. ubi alii quoque codd. praebent ἀδαμάντου, et vulg. fruſtra corrigendum cenſuerunt Stephanus et Scaliger.

60. λαοτρόφον. Alii, mutato accentu, legunt λαότροφον, de quo discrimine ita Scholiastes: λαοτρόφος, ὁ λαὸν τρέφων· λαότροφος δὲ, ὁ ὑπὸ λαοῦ τρεφόμενος. Quod discrimen ut non negem, in quibusdam compoſitis nominibus, accentus mutatione effici, (de quo monuit Cl. Mahne in Epicr. Cenſur. Bibl. Crit. p. 45.) tamen in nomine λαοτροφος non agnosco. Nam compoſita ex V. τρέφω hanc ſervant rationem, ut paſſiva deſinant in ης, ut διοτρεφής, ἀνεμοτρεφής, ὑδατοτρεφής, contra quae in ος deſinunt, vim habeant activam,

νυκτὸς ὑπαίθριος. ἀντεφθέγξατο δ' ἀρτιεπὴς
πατρία ὄσσα, μετάλλασέν τε μιν· Ὄρσο, τέκνον,
δεῦρο πάγκοινον ἐς χώραν ἴμεν φάμας ὄπισθεν.

Στροφὴ δ'.

Ἵκοντο δ' ὑψηλοῖο πέτραν ἀλίβατον Κρονίου·
ἔνθα οἱ ὤπασε θησαυρὸν δίδυμον
μαντοσύνας, τόκα μὲν φωνὰν ἀκούειν
ψευδέων ἄγνωστον, εὖτ' ἂν δὲ θρασυμάχανος ἐλθὼν
Ἡρακλέης, σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν, πατρός
ἑορτάν τε κτίσῃ πλειστόμβροτον τεθμόν τε μέγιστον [ἀέθλων,
Ζηνὸς ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ τότ' αὖ χρηστήριον θέσθαι [κέλευσεν.

Ἀντιστροφὴ δ'.

ἐξ οὗ πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας γένος Ἰαμιδᾶν
ὄλ-

vam, ut γηροτρόφος, παιδοτρόφος, κουροτρόφος. Quocirca h. l. unice verum judico λαοτρόφον, vi activa.

62. μετάλλασέν τέ μιν. Hoc verbum criticos torsit. Acute Hermannus ad Orph. Argon. 781. conj. ἀντεφθέγξατο — μεταλλάσαντί ἱν (h. e. οἱ.) πρ. τῷ Ἰάμῳ. Alii aliter: sed baud scio, an nulla emendatione indigeat.

68. πατρός. Vulgo πατρός θ', quam particulam ejecit Herman. et pro πατρὸς legit e nonnullis codd. πατρί. Similiter Boeckh. Sed genitivus retineri potest, cum et alibi hic casus occurrat, ubi nos dativum praeferamus: ut infra v. 102. τῶνδε κείνων τε. Ol. XIII. 27. Ξενοφῶντος.

71 sq. Alii sic legunt: ἐξ οὗ πολύκλειτον (ἐστι) — γένος Ἰαμιδᾶν. ὄλβος ἅμ' ἕσπετο. τιμῶντες δ' — Sed ita durius divellitur oratio. Equidem punctum post Ἰαμιδᾶν scholiastarum auctoritate sustuli,

 ut

ὄλβος ἅμ' ἕσπετο· τιμῶντες δ' ἀρετὰς
ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται. τεκμαίρει
χρῆμ' ἕκαςον· μῶμος ἐξ ἄλλων κρέμαται φθονεόντων
τοῖς, οἷς ποτε πρώτοις περὶ δωδέκατον δρόμον
ἐλαυνόντεσσι αἰδοία ποτιςάζει χάρις εὐκλέα μορφάν.
εἰ δ' ἐτύμως ὑπὸ Κυλλάνας ὄροις, Ἁγησία, μάτρωες
[ἄνδρες

Ἐπῳδὸς δ'.

ναιετάοντες ἐδώρησαν θεῶν κάρυκα λιταῖς θυσίαις
πολλὰ δὴ πολλαῖσιν Ἑρμᾶν εὐσεβέως, ὃς ἀγῶνας
[ἔχει μοῖράν τ' ἀέθλων,
Ἀρκαδίαν τ' εὐάνορα τιμᾷ· κεῖνος, ὦ παῖ Σωςράτου,
σὺν βαρυγδούπῳ πατρὶ κραίνει σέθεν εὐτυχίαν.
δόξαν ἔχω τιν' ἐπὶ γλώσσᾳ ἀκόνας λιγυρᾶς,
ἅ μ' ἐθέλοντα προσέρπει καλλιρόοισι πνοαῖς.
ματρομάτωρ ἐμὰ Στυμφαλὶς, εὐανθὴς Μετώπα,

Στροφὴ έ.

πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν, τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ
πίομαι, ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων
ποικίλον ὕμνον. ὄτρυνον νῦν ἑταίρους,
Αἰνέα, πρῶτον μὲν Ἥραν Παρθενίαν κελαδῆσαι,
γνῶ-

ut etiam fecerunt Schmid. et Hermannus; et deinceps mallem ita legi: ὄλβος ἅμ' ἕσπετο, τιμῶντές τ' ἀρετάς κ. τ. λ.

75. ποώτοις. Hoc merito praetulit Boeckh. vulgato πρώτοις.

83. προσέρπει. Male libri nonnulli προςέλκει, quod jam ejecit Schmid. Pro πνοαῖς fortasse scrib. πνόαις. cf. ad Ol. II. 37. Eodem vs. pro μ' ἐθέλοντα legendum forte μ' ἐθέλοντι. Vid. Annot.

γνῶναί τ' ἔπειτ', ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν
λόγοις εἰ φεύγομεν, Βοιωτίαν ὗν. ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος
[ὀρθός,
ἠϋκόμων σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρητὴρ ἀγα-
[φθέγκτων ἀοιδᾶν.

Ἀντιστροφὴ έ.

εἰπὸν δὲ μεμνᾶσθαι Συρακοσσᾶν τε καὶ Ὀρτυγίας,
τὰν Ἱέρων καθαρῷ σκάπτῳ διέπων,
ἄρτια μηδόμενος, φοινικόπεζαν
ἀμφέπει Δάματρα, λευκίππου τε θυγατρὸς ἑορτάν,
καὶ Ζηνὸς Αἰτναίου κράτος. ἁδύλογοι δέ νιν
λύραι μολπαί τε γιγνώσκοντι. μὴ θραύσοι χρόνος
[ὄλβον ἐφέρπων·
σὺν δὲ φιλοφροσύναις εὐηράτοις Ἀγησία δέξαιτο
[κῶμον,

Ἐπῳδὸς έ.

οἴκοθεν οἴκαδ' ἀπὸ Στυμφαλίων τειχέων ποτινισσό-
[μενον,
ματέρ' εὐμήλοιο λείποντ' Ἀρκαδίας· ἀγαθαὶ δὲ πέ-
[λοντ' ἐν χειμερίᾳ
νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι. θέος
τῶνδε

92. εἰπόν. Vulgo ſcr. εἶπον. Sed quum h. l. ſit Imperativus, recte Boeckh. ſcripſit εἰπόν, ſimiliter ut εἰπέ. Eodem modo emendavit Stephanus in Theocr. XIV. 11. et alibi quoque in hoc vocabulo accentus confunduntur. Cf. ea, quae praebet Maittaire, Gr. L. Dialect. p. 293. ed. Sturz.


98. Ἀγησία. Forte leg. Ἀγησίᾳ.

101. ἀπεσκίμφθαι. Ita ex

τῶνδε κείνων τε κλυτὰν αἶσαν παρέχοι Φιλέων.
δέσποτα ποντόμεδον, εὐθὺν δὲ πλόον καμάτων
ἐκτὸς ἐόντα δίδοι, χρυσαλακάτοιο πόσις
Ἀμφιτρίτας· ἐμῶν δ' ὕμνων ἄεξ' εὐτερπὲς ἄνθος.

Pal. C. ſcripſit Schmid. pro vulgato ἀπεσχίμωθαι, idque rationibus probavit Boeckh. in nott. crit.

102. τῶνδε κείνων τε. Boeckh. dedit, id quod etiam Heynius conjecerat, τῶν τε κείνων τε. Sed vulg. recte habere videtur. οἵδε ſunt *Stymphalii*, i.e. *hi ipſi, quibus praeſentibus* carmen cantabatur: opponuntur κεῖνοι, np. *Syracuſii*, ad quos profecturus erat Ageſias. δε κείνων ſcripſi pro δ' ἐκείνων, ex uſu Pindari, qui ſemper fere κεῖνος uſurpat, ut Boeckh. monuit.



ΠΥΘΙΩΝ Α'

ΙΕΡΩΝΙ ΑΙΤΝΑΙΩι.

"Αρματι.

ARGUMENTUM.

Hiero potentisſimus fuit Syracuſarum tyrannus, Gelonis frater, cui mortuo in regnum ſucceſſerat. Uterque a multis laudatus et inter optimos adeo reges numeratus est: quamquam Hiero clementia et benignitate haudquaquam fratri aequiparandus videtur. Magnam vero laudis illius partem debuit cum auctoritati ſuae et potentiae, tum praeſertim virorum doctorum et poëtarum, quibus regia ejus pate-

bat, obſervantiae et praeconiis. Cf. Valcken. ad Herod. III. 125. pag. 260. Ut potentia et opibus inter omnes excellebat, ita quoque in primis magnificus erat et glorioſus: quamobrem operam et ſumtum impendit maxime certaminibus curulibus et equestribus, quod Xenophon dicit, *κάλλιςον καὶ μεγαλοπρεπέςατον νομιζόμενον εἶναι ἐπιτήδευμα.* Hieron. Cap. XI. Itaque in Olympiis et Pythiis ſaepius equis et curribus vicit, et pluribus carminibus a Pindaro aliisque poëtis est celebratus. Hanc victoriam in Pythiis reportatam recte referunt ad Pyth. XXIX. h. e. Ol. LXXVI. 3. a. C. 472. Nam patet ex ipſo carmine, eam non multo post reportatam eſſe, quam Hiero novam civitatem Aetnam in Catanae locum condidiſſet; quod factum est Ol. LXXVI. 1. eaque perduravit usque ad Ol. LXXIX. 4. quum, mortuo jam Hierone, ſimul cum nomine, priſci incolae urbi ſunt redditi. Vid. Cluver. Sicil. ant. p. 140 ſq. et Boeckh. h. l. Ab eadem civitate Hiero publice *Aetnaeum* ſe proclamari juſſit, non minus ſuae ambitioni, quam recens conditae civitatis nobilitati gratificatus. His praemonitis, ad ipſum jam accedamus victoris encomium.

Initio poëta invocat et laudat citharam, comitem choreae et arbitram, cujus cantu Deos ipſos mulceri et moveri praedicat; contra impios horrere muſicam et detestari 1 - 14. Quale monſtrum *ἄμουσον* poëta facit Typhoeum, in vicino loco ſub Aetna monte a Jove detruſum et ſepultum; cujus grave ſupplicium, et ſimul diras Aetnae eruptiones praeclare de-

describit 15-28. Hinc majestate divini numinis perculsus, Jovem Aetnaeum placat et pro Hierone invocat. Cujus victoriam, Aetnaeorum nomine partam, omen habet futurae ejus civitatis gloriae: quod Pythius Apollo ut ratum faciat, precatur. 28-41. Deinde Hieronis fortunam et gloriam laudat, bellum in primis memorans nuper ab eo feliciter gestum (quo significare videtur bellum Cumanum), postquam a nonnemine, qui antea eum superbe contemsisset, in auxilium esset vocatus. Qua in re comparat eum Philoctetae, quem Graeci antea contemtum et relictum mox conciliassent et blandis precibus reduxissent: eademque ut perpetuo fruatur fortuna optat. 42-57. Ab Hierone ad Dinomenem filium ejus se vertit, cui novam civitatem, legibus et juribus constitutam, dederat gubernandam. Precatur Jovem, ut vigeat in ea legum auctoritas et pacis tranquillitas, nullo turbata barbarorum impetu: quos Hiero et nuper Cumana, et olim una cum Gelone Himerensi clade perculisset. 58-80. Hic autem modum sibi statuit poëta, ne nimiis laudibus exacuatur hominum invidia. Postremo gravibus praeceptis Hieronem hortatur ad justitiam, veritatem, liberalitatem, benivolentiam: quae virtutes et mortuis memoriam aeternam, et vivis summum decus et felicitatem afferant. 81-100.

Στροφὴ ά.

Χρυσέα φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων
σύνδικον Μοισᾶν κτέανον· τᾶς ἀκούει μὲν βάσις,
πείθονται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν, [ἀγλαΐας ἀρχά,
ἀγησιχόρων ὁπόταν προοιμίων ἀμβολὰς τεύχῃς ἐλε-
καὶ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σβεννύεις [λιζομένα.
ἀενάου πυρός. εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς,
[ὠκεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις,

Ἀντιςροφὴ ά.

ἀρχὸς οἰωνῶν, κελαινῶπιν δ' ἐπί οἱ νεφέλαν
ἀγκύλῳ κρατὶ, γλεφάρων ἁδὺ κλαῖςρον, κατέχευας.
ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ, τεαῖς [ὁ δὲ κνώσσων
ῥιπαῖσι κατασχόμενος. καὶ γὰρ βιατὰς Ἄρης, τρα-
ἐγχέων ἀκμὰν ἰαίνει καρδίαν [χεῖαν ἄνευθε λιπών
κώματι· κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων θέλγει φρένας, ἀμφὶ
[τε Λατοίδα σοφίᾳ, βαθυκόλπων τε Μοισᾶν.

Ἐπῳδὸς ά.

ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεὺς, ἀτύζονται βοάν
Πιερίδων ἀΐοντα, γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμά-
[κετον·
ὅς

4. ὁπόταν προοίμιων. Hoc e libris restituit Herman. et Boeckh. Heynius legit: ὁπόταν τῶν Φροιμίων, quod a Schmidio fuit interpolatum.

13. ἀτύζονται. Quidam libri ἀτύζηται, unde Boeckh. legit ἀτύζεται. Alteram vero lectionem vulgo habent codd. item schol. qui interpretatur ἀπεςποέφονται; quibus accedit Plutarchus, haec citans, de Superst. T. II. p. 167. C.

ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖται, θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψεν πολυώνυμον ἄντρον· νῦν γε μάν
ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι
Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει στέρνα λαχνάεντα· κίων δ'
[οὐρανία συνέχει,
νιφόεσσ' Αἴτνα, πάνετες χιόνος ὀξείας τιθήνα·

Στροφὴ β'.

τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ δ' ἁμέραισιν μὲν πρό-
[χέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθων'· ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖαν φέρει πόν-
[του πλάκα σὺν πατάγῳ·
κεῖνο δ' Ἁφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετόν
δεινοτάτους ἀναπέμπει· τέρας μὲν θαυμάσιον προς-
[ιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι,
Ἀν-

15. ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ. Hoc vitiofum putabat Thiersch, quod Τάρταρος masculino genere ufurpari folet, et conj. ἐν εὐνᾷ Ταρτάρου: non ineleganter fane; attamen vulg. follicandum non erat, ut docte a Boeckhio est probatum.

26. θαυμάσιον προσιδέσθαι Libri quidam optimi, teste Boeckhio, habent ἰδέσθαι, alii τι ἰδέσθαι, unde in nonnullis corrupte πυθέσθαι legitur. Hinc vulgatum fufpectum est, eoque magis, quod verbum fimplex in hac dictione ufitatum est, θαῦμα ἰδέσθαι. Neque tamen θαυμάσιόν τι, praecedente nomine τέρας, magis mihi placet. Haud fcio, an legendum fit: τέρας μὲν θαυμάσιόν γε ἰδέσθαι. Voces τι, τε, γε faepius funt confufae, ut no-

'Αντιςροφὴ β'.

οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς
καὶ πέδῳ, ςρωμνὰ δὲ χαράσσοισ' ἅπαν νῶτον ποτι-
[κεκλιμένον κεντεῖ.
εἴη, Ζεῦ, τὶν εἴη ἁνδάνειν,
ὃς τοῦτ' ἐφέπεις ὄρος, εὐκάρποιο γαίας μέτωπον, τοῦ
κλεινὸς οἰκιςὴρ ἐκύδανεν πόλιν [μὲν ἐπωνυμίαν
γείτονα, Πυθιάδος δ' ἐν δρόμῳ κάρυξ ἀνέειπέ νιν
[ἀγγέλλων Ἱέρωνος ὑπὲρ καλλινίκου

'Επῳδὸς β'.

ἅρμασι. ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρῶτα χάρις
ἐς πλόον ἀρχομένοις πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον· ἐοικό-
[τα γάρ
κᾂν τελευτᾷ φερτέρου νόςου τυχεῖν· ὁ δὲ λόγος
ταύταις ἐπὶ συντυχίαις δόξαν φέρει

λοι-

ɛum est: v. c. ap. Aeschyl. Prom. 42. μέν — γε etiam alibi junguntur, ut Pyth. X 11. Homer. Il. A. 216. et hiatus ante ἰδέσθαι suppletur digammate Aeolico γε Fιδέσθαι. Vid. Heyne ad Hom. Il. T. Exc. III. T. VII. p. 739. sq. Boeckh. Metr. Pind. p. 310.

35. κᾂν τελευτᾷ φερτέρου. Pro κᾂν multi codd. ἐν καὶ (pro καὶ ἐι), quod hyperbaton amat Pindarus. Vid. Boeckh. not. crit. ad Ol. VI. 53. Deinde pro φερτέρου plures libri habent φερτέρα. Vide igitur, num sic potius legendum sit: ἐοικότα γ' ἐν καὶ τελευτᾷ φερτέρα νόςου τυχεῖν. Jung. ἐντυχεῖν τελευτᾷ νόςου, ut ἐντυγχάνειν κακοῖς. Sophocl. Ai. 433. al. Particula γὰρ pro γε frequenter illata est a librariis; hac autem illata, ἐν ob metrum removendum erat. Sic facile vulgata lectio nata est. Cf. Lenting. ad Eurip. Med. 246. Boeckh. ita edidit: ἐοικότα γὰρ καὶ τελευτὰν φερτέραν νόςου τυχεῖν, sc. αὐτοῖς.

λοιπὸν ἔσσεσθαι ςεφάνοισί νιν ἵπποις τε κλυτὰν
καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις ὀνομαςάν.
Λύκιε καὶ Δάλου ἀνάσσων Φοῖβε, Παρνασῷ τε
[κράναν Κασαλίαν φιλέων,
ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν εὔανδρόν τε χώραν.

Στροφὴ γ΄.

ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς,
καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βιαταὶ περίγλωσσοί τ' ἔφυν.
αἰνῆσαι μενοινῶν, ἔλπομαι [ἄνδρα δ' ἐγὼ κεῖνον
μὴ χαλκοπάραον ἄκονθ' ὡσείτ' ἀγῶνος βαλεῖν ἔξω
[παλάμᾳ δονέων,
μακρὰ δὲ ῥίψαις ἀμεύσασθ' ἀντίους.
εἰ γὰρ ὁ πᾶς χρόνος ὄλβον μὲν οὕτω καὶ κτεάνων
[δόσιν εὐθύνοι, καμάτων δ' ἐπίλασιν παράσχοι.

Ἀντιςροφὴ γ΄.

ἦ κεν ἀμνάσειεν, οἵαις ἐν πολέμοισι μάχαις
τλά-

37. ςεφάνοισί νιν. Hoc ex Ald. ed. revocavit Boeckh. idemque conjecerat jam Heynius. Vulgo ςεφάνοισί τε

39. Παρνασῷ. Dativum plures codd. praebent, quem igitur servandum putavi, cf. Annot. Heyne edidit Παρνασσῶ; minus recte.

45. ἀμεύσασθ'. Ita Boeckh. ex optimis libris restituit pro ἀμεύσεσθ', quod dederat Heyne.

47. ἦ κεν ἀμνάσειεν (h. e. ἀναμνάσειεν). Ita scripsit Boeckh. pro Schmidii scriptura ἀμμνάσειεν, quod litterae μμν non conjungantur a Graecis. Libri autem praebent ἦ κεν ἂν μνάσειεν. Fortasse duplex particula κεν ἂν hic ferri posſit, praesertim quum ἦ κεν quasi unam vocem efficiant. Sic ὄφρ' ἂν μέν κεν, εὖτ' ἄν κεν occurrit ap. Homer. Vid. Herman.

τλάμονι ψυχᾷ παρέμειν', ἀνίχ' εὑρίσκοντο θεῶν παλάμαις τιμάν,
οἵαν οὔτις Ἑλλάνων δρέπει,
πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρωχον. νῦν γε μὰν ταν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων
ἐστρατεύθη· σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν φίλον
καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν. Φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἑλκει τειρόμενον μεταλλάσσοντας ἐλθεῖν

Ἐπῳδὸς γ'.

ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν·
ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρσεν τελεύτασέν τε πόνους Δαναοῖς,
ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων, ἀλλὰ μοιρίδιον ἦν.
οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι
τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν ἔραται, καιρὸν διδούς.
Μοῖσα, καὶ πὰρ Δεινομένει κελαδῆσαι
πίθεό μοι, ποινὰν τεθρίππων. χάρμα δ' οὐκ ἀλλότριον νικαφορία πατέρος.

ἄγ'

Addend. ad Orphei Lith. v. 246. ante Ed. p. XXIV.

48. *ἀνίχ' εὑρίσκοντο.* Hujus verbi numerus non congruit cum praecedenti *παρέμεινε*, quamobrem corruptum visum est viris doctis, qui variis modis emendare studuerunt. Boeckhius, suadente Vauvilliers, scr. *ἀνίχ' εὑρίσκοιτο*, quod etiam Par. B. exhibet. Sed ad vulg. lect firmandam, vide numquid valeant ea, quae in Annot. contulimus.

52. *μεταλλάσσοντας.* Hoc et in metrum peccat, nec satis commodum efficit sensum. Heynius scribit *μεταλλάσοντας* (a V. *μεταλλᾷν*), vitio non sublato. Boeckh. legendum statuit *μεταμείβοντας* cf. Annot.

59. *πίθεό μοι.* Ita Mingarellus pro vulg. *πείθεό μοι*, quod metro adversatur: conci-

ἄγ᾽ ἔπειτ᾽, Αἴτνας βασιλεῖ φίλιον ἐξεύρωμεν ὕμνον·

Στροφὴ δ΄.

τῷ πόλιν κείναν θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ
Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων ἐν νόμοις ἔκτισσ᾽. ἐθέλοντι δὲ
καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι, [Παμφύλου
ὄχθαις ὑπὸ Ταϋγέτου ναίοντες, αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν
Δωρίοις. ἔσχον δ᾽ Ἀμύκλας ὄλβιοι, [ἐν Αἰγιμιοῦ
Πινδόθεν ὀρνύμενοι, λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν βαθύ-
[δοξοι γείτονες, ὧν κλέος ἄνθησεν αἰχμᾶς.

Ἀντιστροφὴ γ΄.

Ζεῦ τέλει᾽, αἰεὶ δὲ τοιαύταν Ἀμένα παρ᾽ ὕδωρ
αἶσαν ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσιν διακρίνειν ἔτυμον λόγον
σύν τοι τίν κεν ἁγητὴρ ἀνήρ [ἀνθρώπων.
υἱῷ τ᾽ ἐπιτελλόμενος, δᾶμον γεραίρων τράποι σύμ-
[φωνον ἐφ᾽ ἁσυχίαν.
λίσσομαι, νεῦσον, Κρονίων, ἅμερον

ὄφρα

cinit codex Par. B. ut monuit Boeckh.

65. Δωρίοις. Hanc Hermanni emend. cum Boeckhio recepi. Vulgo Δωριέες (pro Δωριεῖς), quod non modo propter hujus formae apud Pindarum insolentiam, sed etiam ob verborum consecutionem parum habet commendationis.

67. Ζεῦ τέλει᾽, αἰεὶ δὲ κ. τ. λ. Sic haud dubie scribendum, ut jam Herman. fecit, pro vulgato Ζεῦ, τέλει αἰεὶ δὲ, in quo δὲ ordinem turbat. Ita quoque edd. vett. fere omnes, teste Heynio, legunt. cf. Annot.

70. δᾶμον γεραίρων. Sic emendavit Herman. et codd. auctoritate edidit Boeckh. Schmidius ex una Cratandr. edidit δᾶμόν τε γέρων, cui paruit Heyne. Pro υἱῷ τ᾽ Boeckh. scripsit υἱῷ γ᾽, quod non necessarium puto.

71. λίσσομαι, κ. τ. λ. Fortasse ita scribendum:

λίσ-

ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοίνιξ ὁ Τυρσανῶν τ' ἀλαλατὸς
[ἔχῃ, ναυσίςονον ὕβριν ἰδὼν τὰν πρὸ Κύμας.

Ἐπῳδὸς δ'.

οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ δαμασθέντες πάθον,
ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλετ' ἁλικίαν,
Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας δουλίας. ἀρέομαι
πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν
μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι,
παρὰ δὲ τὰν εὐύδρου ἀκτὰν Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον
[Δεινομένευς τελέσαις,
τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ, πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Τροφὴ ε'.

καιρὸν εἰ φθέγξαιο, πολλῶν πείρατα συντανύσαις
ἐν βραχεῖ, μείων ἕπεται μῶμος ἀνθρώπων. ἀπὸ γὰρ
[κόρος ἀμβλύνει
αἰ-

λίσσομαι, νεῦσον, Κρονίων· ἅμερον τ' ὄφρα κατ' οἶκον — Sic verba λίσσομαι, ν. Κρ. in medio interposita, tam ad superiora quam ad sequentia referuntur, et vim eddunt precibus, quas modo (vs. 67.) coeptas deinde continuat.

72. ναυσίςονον ὕβριν. Pro ναυσίςονον scribere mallem ναυσίςολον: illud etiam usu caret. Simili litterarum permutatione ἄςονος et ἄςολος confunduntur in Aeschyl. Sept. adv. Theb. 842. Caeterum cf. Annotat.

75. ἀρέομαι. Hoc dudum a VV. DD. probatum ex Ald. et Leid. B. reposuit Boeckh. pro vulg. αἰρέομαι.

77. ἐρέω. Hoc mutatum a Boeckhio in ἐρέων, propter verborum consecutionem: ἀρέομαι — ἐρέων — τελέσαις. Idem post Beckium e nonnullis libris edidit Μήδειοι, pro

αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας.
ἀςῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλις' ἐσλοῖσιν
[ἐπ' ἀλλοτρίοις.
ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος,
μὴ παρίει καλά. νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ ςρατόν· ἀψευ-
[δεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν.

'Αντιςροφὴ έ.

εἴ τι καὶ φλαῦρον παραιθύσσει, μέγα τοι φέρεται
πὰρ σέθεν. πολλῶν ταμίας ἐσσί· πολλοὶ μάρτυρες ἀμ-
εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ παρμένων, [φοτέροις πιςοί.
εἴπερ τι φιλεῖς ἀκοὰν ἁδεῖαν αἰεὶ κλύειν, μὴ κάμνε λίαν
ἐξίει δ' ὥσπερ κυβερνάτας ἀνήρ [δαπάναις·
ἱςίον ἀνεμόεν. μὴ δολωθῇς, ὦ φίλος, εὐτραπέλοις κέρ-
[δεσσ'. ὀπιθόμβροτον αὔχημα δόξας

'Επῳδὸς έ.

οἷον ἀποιχομένων ἀνδρῶν δίαιταν μανύει
καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς. οὐ φθινεῖ Κροίσου φιλό-
[φρων ἀρετά·
τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον
ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις.

οὐ-

pro Μῆδοι μὲν, quam formam probat etiam testimoniis.

83. ἐλπίδας. Hoc plures offerunt codd. Vulgo editum est ἀπάδις, quod manifesto corruptum. Illud jam recepit Boeckh.

92. μὴ δολωθῇς, ὦ φίλος, εὐτραπέλοις κερδεσσ'. Sic bene Herman. codd. ductu interpolavit vulg. lect. quae ita habet: μὴ δολωθῇς, ὦ φίλε, κέρδεσιν εὐτραπέλοις. Sed peccat in metrum. cf. Boeckh.

οὐδέ μιν φόρμιγγες ὑπωρόφιαι κοινωνίαν
μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται.
τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων· εὖ δ᾽ ἀκούειν δευτέρα
[μοῖρ᾽· ἀμφοτέροισι δ᾽ ἀνὴρ
ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ, στέφανον ὕψιστον δέδεκται.



A N N O T A T I O.

A N N O T A T I O

I N

O L Y M P. II.

vs. 1. Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι. Pindarus exordio carminis non Musam aliudve numen', sed ipsos hymnos tanquam personas alloquitur, quae Deorum Heroumque et victorum laudes una celebrent. Similiter lyram vel tibiam alloquuntur poëtae, ut Pindarus Pyth. I. init. ad q. l. plura annotabimus. Ἀναξιφόρμιγγες, *citharam regentes*: nimirum hymni cantus cum lyrae tibiaeque sonis erant conjuncti (unde ὕμνος φόρμιγγι συνοίμιος dicitur, Apollon. Rh. III. 161.); et cum secundum carminis argumentum, pedumque et numerorum diversitatem, lyrae fides variis modis tractarentur, hanc ob rem merito dicitur hymnus lyram regere. Contra interdum cithara dicitur hymnum regere: unde Aristoph. Thesmoph. 130. (124.) dixit κίθαριν ματέρ' ὕμνων; ubi Pindari locum etiam attulit

Schol. Hoc autem referendum ad praecentionem, quae cithara fiebat, ut chorus rectum cantandi saltandique modum sensu praeciperet: ut docent vett. grammatici; aliam interpretationem dedit Boeckh. de qua videbimus ad Pyth. I. pr. Ambiguam vero sententiam hic facit Schol. cum dicit: *ἀναξιφόρμιγγες· ἤτοι τῶν φορμίγγων ἀνάσσοντες, — ἢ οἱ ἀνασσόμενοι ὑπὸ φορμίγγων ὕμνοι.* At priorem significationem unice admittit graecae linguae analogia: sic *ὠλεσίοικος*, *domum perdens* (Aesch. Sept. c. Th. 726.); *ἐρειψίτοιχος*, *moenia evertens* (ibid. 817.); *ἑλίτροχος*, *rotam vertens* (ibid 211.); *πλήξιππος* (Pind. Ol. VI. 85.), *ἀλεξίκακος*, *παυσίκακος*, similia.

vs 2. *τίνα θεὸν κ. τ. λ.* Quo melius vim horum versuum percipiamus, ipsius Pindari mens et cogitatio explicanda est et aperienda. Versatur poëtae ob animum Jupiter ipse, Deorum summus, cui Olympia sacra erat; item Hercules, princeps Graecorum heros, a quo Olympia primum instituta et Jovi dicata erant: denique Theronem cogitat, virum fama et opibus clarum, qui Jovis munere victoriam quadrigis reportaverat: qui honos summus ac prope divinus a Graecis habebatur. Hoc cogitationum flumine poëtae animus abundans, incertus est, a quo faciat canendi initium: tandem in Theronis laudibus consistit. Hoc exordio paullum immutato Horatius splendidum carmen ad Augustum (I. 12.) ornavit:

Quem

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia ſumes celebrare, Clio?
Quem Deum?

vs. 2. κελαδήσομεν. Verbum κελαδεῖν, uti mox γεγωνεῖν, item αὐλεῖν, δονεῖν, alia exquiſite in lyricis carminibus uſurpantur pro ᾄδειν, μέλπεσθαι. Proprie V. κελαδεῖν de graviore et acriore ſono dicitur, ut de undarum et fluminum ſtrepitu: Homerus Il. Φ. 15. Ξάνθου βαθυδινήεντος πλῆτο ῥόος κελάδων. Unde etiam fluvio Arcadiae nomen Κελάδων fuit: Hom. Il. H. 133. cf. Ariſtoph. Nub. 282. ſq. tum etiam de magnae multitudinis ſtrepitu et clamore: Hom. Il. Ψ. 869. Similiter Horatius utitur verbo *ſonare*, Carm. II. 13. 26.

Et te ſonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

vs. 3. ἤτοι Πίσα μὲν Διός. *Piſa* antiquisſima Peloponneſi civitas (a Piſo Aeoli nepote, ut fertur, condita), ubi fons erat ejusdem nominis. Hujus urbis ager, Arcadiae confinis, appellabatur *Piſaea* ſive *Piſatis*, quam fluvius Alpheus alluebat. Ut Apollini Pytho, ſic Piſa antiquisſimis jam temporibus Jovi ſacra fuit, ſecundum vetus oraculi responſum, Herculi, ut fertur, ab Apolline datum:

πατρὶ μέλει Πίσης, Πυθοῦς δὲ μοὶ ἐγγυάλιζ.

Pauſan. V. p. 376. ed. Kuhn. Huic regioni Oenomaus quondam ejusque ſucceſſor Pelops praefuerunt. In ejus ditione templum et lucus erant Jovis Olympici, ubi certamina Olympica agebantur,

 quae

quae Hercules, Augea debellato, inſtituisſe traditur a poëtis. Vid. Pind. Ol. XI. (X.) 25. ſqq. et Ol. III. 14. ſqq. Hanc ob rem a Pindaro *Piſa* et *Olympia* promiscue tamquam Olympicorum certaminum ſedes nominantur. Vid. Ol. III. 9. ſq. coll. I. 7. ſq. Ol. XI. (X.) 45. ſqq. coll. III. 14. ſqq. quamquam diverſa haec fuisſe loca, neque magno intervallo a ſe invicem remota, plane conſtat. Vid. Schol. ad Ol. I. 24. XI. (X.) 51. cum annot. Boeckh. Diu etiam his certaminibus Piſaei praefuerunt; postea vero multas hac de re controverſias et bella egerunt cum Eleis, quorum hic exitus fuit, ut Piſa diruerctur. Post quod tempus Piſanorum nomen in oblivionem lapſum, atque univerſa illa ora usque ad Mesſeniorum fines, *Elea* ſive *Elis* appellata est. Vid. Pauſan. V. cap. I. p. 376. et VI. cap. 22. Strabo VIII. p. 542. ſqq. Almelov. cf. Paſchal. Coron. VI. 4. Haud raro, imprimis a grammaticis, *Piſa* et *Olympia* perperam confunduntur, ut a Steph. Byz. V. Πίσα et Ὀλυμπία ad h. l. cf. Berkel. Cauſſa hujus rei inde ducenda mihi videtur, quod illarum regionum ſtatus et fines ſaepe antiquitus turbati ſunt, tum etiam quod, posterioribus temporibus, Piſae dirutae vestigia admodum obſcura fuerunt atque incerta.

vs. 6. *γεγωνητέον ὅτι.* Quamquam ὅτι h. l. abundat, neque magnam habet vim, quodammodo tamen ſuum tueri locum videtur ſimilium exemplorum auctoritate. Quid enim haec dictio a lyrico magis

gis

gis abhorret, quam hujus generis aliae, ut Ol. VI. 13. ἀπὸ γλώσσας φθέγξατε. Pyth. III. pr. ἀπὸ γλώσσας εὔξασθαι; ne memorem Ol. IX. pr. φωνᾷ ἐν Ὀλυμπίᾳ καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς: ubi alii codd. praebent φωνᾶεν, quod amplectitur Boeckh. alteram lectionem durius tamen aspernatus. Sunt haec prisci aevi vestigia, quae ab Homero ducta et deinceps propagata sunt: cujusmodi est Homerica illa dictio, ὀφθαλμοῖσιν ἰδεῖν, h. e. simpl. *videre*. H. in Cerer. vs. 409. al.

vs. 7. ἔρεισμ' Ἀκράγαντος. i. e. *Agrigenti fulcrum et praesidium*. Simile est celebratissimum illud Pindari dictum, quo Athenas Ἑλλάδος ἔρεισμα appellat, in Dithyr. similique modo v. 90. Hectorem dicit Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα; ubi plura notavi. Ol. XIII. 6. justitia βάθρον πολίων. Pyth. V. 56. ὄλβος, *fortuna*, appellatur πύργος ἄστεος. Ducta haec loquendi ratio est ab antiquo sermone, quum homines omnia fere, quae mente solum intelligi possent, ad sensus referrent. Ita Homerus Achillem vocat ἕρκος Ἀχαιῶν Il. A. 284. Od. Ψ. 121. Callinus Ephes. fr. de viro forti: ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν. Analect. Brunck. T. I. p. 39. Callimach. H. in Del. 24. ubi Spanhem.

vs. 8. πατέρων ἄωτον ὀρθόπολιν. Vocabulum ἄωτος saepe a Pindaro usurpatur, quo *praestantiam* quandam significet: ut ἡρώων ἄωτοι, *heroum praestantissimi;* quo modo Latini *Juvenum florem* dicunt, et similia. Illustravit hanc dictionem Klotz. ad Tyrt. p. 26. Quo tamen sensu Theron h. l. πατέρων ἄωτος sa-

ſatis eleganter appellari non potest: potius accipiendum pro κόσμος πατέρων, i. e. *patrum ſuorum decus;* metaphorâ a floribus aut corollis deſumtâ. Qua ratione Pyth. IX. 4. Teleſicratem dicit ὄλβιον ἄνδρα, διωξίππου στεφάνωμα Κυράνας; et in Epigr. ἀδεσπ. (Analect. Brunck. T. III. p. 257.) DII. Ἑλλάδος εὐρυχόρου στέφανος appellatur Heſiodus. — ὀρθόπολιν adject. jungendum cum ἄωτον, monente Boeckh. h. e. ὀρθοῦντα καὶ σώζοντα τὰς πόλεις, Schol. cf. ad Pyth. I. 56. Simili nomine apud Aeſch. Eum. 950. *Furiae* appellantur δαίμονες ὀρθονόμοι, h. e. *legum tutrices;* et in Locrorum Epizephyriorum civitate in M. Graecia princeps magiſtratus appellabatur Κοσμόπολις.

vs. 9. καμόντες οἳ πολλὰ, κ. τ. λ. A Therone ad majores ejus poëta more ſuo degreditur: qui, teſte Schol. primum e Graecia in Rhodum, hinc vero ejecti, Siciliam petierunt, ubi ad fluvium Acragantem conſederunt. Urbem hic ab iis conditam appellat οἴκημα ποταμοῦ, quo nomine Agrigentum (Ἀκράγαντα) intelligi certum eſt, nominatum, antiquo more, a fluvio, cui adjacebat: notante Stephano Byz. V. Ἀκραγάντες. Hoc autem flumen divino honore ab Agrigentinis colebatur, teſte Aeliano V. H. II. 33. Ἀκραγαντῖνοι δὲ τὸν ἐπώνυμον τῆς πόλεως ποταμὸν παιδὶ ὡραίῳ εἰκάσαντες, θύουσι κ. τ. λ. cf. Spanhem. ad Callimach. H. in Del. 110. Atque ideo ipſam urbem ποταμοῦ οἴκημα appellatam exiſtimo; quamquam diſſentit Boeckh. Nam ſimili ratione Ol. V. pr. ubi urbs Siciliae memoratur Ca-

ma-

marina, a palude ejusdem nominis item appellata, hanc paludem tanquam Deam, Oceani filiam, invocat, quae in urbe coleretur: unde dicit τὰν σὰν πόλιν. vs. 4. etſi in eadem urbe Minerva, ut civitatis praeſes (πολιοῦχος) honorabatur; ibid. vs. 22. Idem obtinuit Agrigenti, ubi praecipuo honore culta est Proſerpina: unde Περσεφόνας ἕδος vocatur Pyth. XII. 2. Plura de Agrigenti ſacris praebet Boeckh. ad h. l. Epith. ἱερόν, ſimiliter ut δῖος, ἁγνός, alia, ſolennia ſunt poëtis, qui ea non modo coelo, mari, terris, ſed etiam fontibus, fluviis, urbibus, tanquam rebus divinis aut divino numini ſacris, tribuere ſolent. Similiter Ἴλιος ἱρὴ ap. Homer. Il. Τ. 216. et inſula *Thera* ἱερὰ vocata ap. Pind. Pyth. IV. 6. Eodem ſenſu, quo h. l. οἴκημα ποταμοῦ, Heinſius dictum putabat illud Horatii Carm. I. 7. 12. *domum Albuneae reſonantis.* Sed ibi fluvii *domus* pro *fonte* ponitur, ut bene Mitſcherl. monuit.

vs. 10. Σικελίας τ' ἔσαν ὀφθαλμός. Eleganter conditores illos Agrigenti cum virtutibus tum gloria et opibus lucentes hoc nomine appellat. Ut enim oculi inſigne ſunt hominis ornamentum et quaſi vitae lumen, ſic ad dignitatem, praeſidium et decus ſignificandum, haec vox a poëtis translata. Ita Ol. VI. 16. Adrastus Amphiaraum et fortitudine et prudentia clarum, στρατιᾶς ὀφθαλμόν, et apud Aeſchyl. Choeph. 926. chorus Orestem appellat ὀφθαλμὸν οἴκων. cf. Pyth. V. 56. Isthm. II. 17. Hinc liberi et cariſſima quaevis, amicorum et pa-

 ren-

rentum lumina vocantur: quod exemplis illustravit Barth. Adverf. XXXIII. 2. pag. 1174 fq. Eadem dictione a Graeco fonte deducta ufi funt Latini: ut Cicero Nat. Deor. III. 38. Corinthum et Carthaginem *duos oculos orae maritimae* vocat. Pacatus Panegyr. cap. 16. de Theodofii filiis: *geminae illae fpes oculique Reip.* Ab hac autem dictione disfimilis videtur ea, quam comparat Boeckh., qua certi quidam Perfarum regis ministri *βασιλέως ὀφθαλμοὶ* dicebantur. Nam (ut refert Schol. ad Aristoph. Acharn. 92.) *οὕτω ἐκάλουν τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ· ὡς βασιλέως ὦτα, οἱ ὠτακουσταὶ, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ.* quem citat Brisfon. de Regno Perf. five 190. Mox *ἕσπετε* pro *ἐφείπετο*, *fecuta*, five *comitata est.* Vid. Boeckh. Alio loco Pindarus de Theronis majoribus fic cecinit:

ἐν δὲ Ῥόδον κατῴκισθεν,
ἔνθ' ἀφορμηθέντες ὑψηλὰν πόλιν ἀμφινέμονται,
πλεῖστα μὲν δῶρ' ἀθανάτοις ἀνέχοντες,
ἕσπετο δ' ἀενάου πλούτου νέφος.

Vid Schol. ad. h. l. et Boeckh. fr. Pind. p. 605.

vs. 13. *ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας, κ. τ. λ.* Pindarus folenni more Jovem invocat, ejusque opem et favorem pro Theronis gente implorat. *Κρόνιε*, non est *Κρονίῳ λόχῳ τιμώμενε·* fed idem quod *Κρονίδα*, *Croni et Rheae fili!* Ita ex antiqui aevi fimplicitate Deos, additis parentum nominibus, appellare folebant. Res ex Homero nota. *Ὀλύμπου ἕδος*, h. *τὸν Ὀλύμπον*, Deorum fedem. cf. Isthm. I. 31. Homer. H.

in

in Apoll. 225. Aeschyl. Prom. 412. ἁγνᾶς Ἀσίας ἕδος. Eumen. 11. Παρνησσοῦ ἕδρας. ἀέθλων κορυφάν, signif. certamen Olympicum, inter omnia unum longe celeberrimum. cf. Ol. I. pr. Similiter Nem. X. 32. ἐσχάτων ἀέθλων κορυφαῖ. Huic certamini praeërat Jupiter, quem ideo ante certamen sacris et votis sibi placabant; victoriam autem adepti gratias eidem solvebant. Ol. V. init. et ad h. l. Boeckh. Ol. VIII. init.

vs. 14. πόρον τ' Ἀλφεοῦ h. e. Ἀλφεοῦ ῥέεθρον, poëtice pro simpl. Ἀλφεόν. cf. Ol. VI. 28. Et sic apud Aeschylum Sept. c. Th. ubi legitur:

—— πόρον δ' Ἰσμηνὸν οὐκ ἐξ περᾶν
ὁ μάντις.

corrigendum puto: πορὸν δ' Ἰσμηνοῦ; ut idem Pers. 863. dixit πόρον Ἀλύος. ibid. 419. Ἀξίου πόρος. In eadem vero fabula de Dario dicit:

ἤλπιζε σχήσειν ῥέοντα Βόσπορον ῥόον θεοῦ.

ubi legendum censeo: Βοσπόρου ῥόον θεοῦ. Eandem orationis figuram frequenter Aeschylus etiam de terra et coelo usurpat: ut Prom. 418. γᾶς πόρος. ibid. 394. οἶμος αἰθέρος; ad quam normam pro eo, quod legitur Agam. 909.

πέδον κελεύθου στρωννύναι πετασμάσιν.

scrib. πέδου κέλευθον. cf. Pers. 565. Pind. Pyth. IV. 195. *Alpheus* autem fluvius Olympiam alluens sacris usibus destinatus, Jovique una cum ara et luco sacer erat. cf. Boeckh. — ἰανθεὶς ἀοιδαῖς· Dii enim carminibus mulcentur et placantur. Vid. Annot. ad Pyth. I. 5. 12. Similis color est Ol. V. 17. sq.

Σω-

Σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ, Κρόνιόν τε ναίων λόφον,
τιμῶν τ' Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντ' Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον,
ἱκέτας; σέθεν ἔρχομαι —

vs. 16. σφίσιν—γένει, pro σφῶν (αὐτῶν) γένει. Usitata locutio, qua dativus pronominis pro genitivo ponitur, imprimis ubi dativus antecessit. Exemplorum copiam praebent Matthiae, Grammat. Gr. pag. 528. et Ast. ad Platon. de Legg. Animadv. pag. 9.

vs. 17—24. τῶν δὲ πεπραγμένων — ὄλβον ὑψηλόν. Locus haud parum ab antiquis intpp. vexatus, cujus veram rationem nec Heynius assecutus videtur Pindarus has sententias eo consilio hic posuisse videtur, ut ad proximam de prisca victoris gente narrationem animos praepararet. Theron (ut supra jam vidimus) originem a Cadmi stirpe ducebat: quae uantas aerumnas et fortunae casus experta sit, satis inter omnes notum est. Cui enim ignota est Cadmi filia Semele, quae a Jove adamata, mox Junonis fraude et fallaciâ misere periit? Cui item Lajus, Oedipus, hujusque filii, Eteocles et Polynices, qui bello Thebano mutua caede ceciderunt? Harum omnium historia tot horroribus et aerumnis plena fuit, ut in tragoediis maxime deinceps celebrata sit. Hanc igitur Theronis stirpem cum Pindarus vellet referre, ne victoris animum tot malorum recordatione agitaret, apte et sapienter universam hanc sententiam mihi videtur praemisisse: „ praeterita mala irrita et infecta reddi prorsus nequeunt." Tum his malis tanquam

me-

medicinam affert praesentem Theronis felicitatem: „ In fortunâ tamen secundâ, ista facile oblivione obteguntur: prosperae enim fortunae cedunt mala." Post haec deinceps res Semeles, Oedipodis, Polynicis et Eteoclis paucis percurrit, sententias de incerta vitae conditione, fortunaeque inconstantia passim interponens, donec ad ipsum Theronem ejusque laudes rursus delabitur vs. 53. Atque talis quidem narrandi ratio prorsus est e Pindari more. Similis locus occurrit Ol. VII. quod carmen in Diagorae Rhodii, qui genus a Tleoptolemo, Herculis f. ducebat, laudem conscriptum est. Ibi fraternum parricidium a Tleoptolemo commissum memoraturus, eodem modo universam sententiam praemittit, quâ istius furorem excuset. vs. 24. sqq. Jam universi loci sententia, e nostra opinione, explanatâ, singula attendamus.

vs. 17. *τῶν δὲ πεπραγμένων κ. τ. λ.* Minus recte Heynius antiquam mutavit interpunctionem, quae ita est: *τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν, ἀποίητον κ. τ. λ.* — *τῶν πεπραγμένων* — *ἔργων τέλος*, satis usitatâ apud poëtas circumlocutione, pro *τὰ ἔργα πεπράγμενα*, h. e. *ea quae forte acciderunt*, *τὰ συμβάντα*; ut apud Aeschyl. Pers. 798. Choëph. 734. *ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν*, *sive merito sive injuria*; sic *ἐν δίκᾳ* occurrit etiam Ol. VI. 12. Platon. Legg. VI. p. 768. A. Sensus igitur est: „ Quaecumqne hominibus mala acciderunt sive merito, sive injuriâ, ne tempus quidem, omnium rerum Pater, possit irrita et infecta red-

de-

dere." — Sententia haec a multis varie est celebrata; ut a Phocyl. fr.

Μηδὲ παροιχομένοισι κακοῖς τρύχου τεὸν ἦτορ·
οὐκέτι γὰρ δύναται τὸ τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.

Agathon. apud Aristot. Nicomach. VI. cap. 2.

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Lucianus in eadem sententia Parcas memorat (de conscr. hist. cap. 38. T. II. p. 52. Hemst.): *τὰ μὲν πραχθέντα οὐδὲ Κλωθὼ ἂν ἔτι ἀνακλώσειεν, οὐδ' Ἄτροπος μετατρέψειε.* Horatius de Jove patre (Carm. III. 29. 45):

Non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet: neque
Diffingit infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

cf. Sophocl. Ajace, vs. 377. sq. ubi Schol. Plures citat Barth. Adverf. XXXIV. 14. p. 1569. *χρόνος ὁ πάντων πάτηρ*, quandoquidem a tempore omnium rerum repetebant originem. Hinc Eurip. in Belleroph. *οὐδενὸς ἐκδὺς χρόνος.* in Stobaei floril. Grotii p. 11. Moschio: *ὁ τίκτων πάντα καὶ τρέφων χρόνος.* in Stobaei Exceprt. ejusd. p. 147. Ex hac notione, Κρόνου antiquissimi Dei religio exstitisse videtur: „ Κρόνος enim, ait Cicero, dicitur, qui est idem χρόνος, i. e. temporis spatium." Nat. Deor. II. 25. ad q. l. vid. Davis.

vs. 21. *ἐσθλῶν γὰρ κ. τ. λ.* Magnifice haec enunciat poëta: Χάρματα et Πῆμα inducuntur tanquam personae inter se inimicae, quarum altera alte-

ram

ram domat et exſtinguit. Χάρματα dicuntur ἐσλά, *alma*, *benigna*, propter felicitatem quam afferunt (ita ſaepe τὰ ἐσλά, *res prosperae*): opponitur παλίγκοτον, *inimicum*, *asperum*. cf. Aeſchyl. Agam. 579. 863. al. ſimiliter N. IV. ſin.

μαλθακὰ μὲν φρονέων ἐσλοῖς,
τραχὺς δὲ παλιγκότοις ἔφεδρος.

ubi alterum idem est, quod φίλοις, alterum idem quod ἐχθροῖς.

vs. 23. ὅταν θεοῦ μοῖρα. κ. τ. λ. θεοῦ μοῖρα pro ſimplici Μοῖρα, *Fatum*: ut δαίμονος τύχη Ol. VIII. 67. Ζηνὸς ὁρκία θέμις Eurip. Med. 211. ὄλβος ὑψηλὸς dicitur, ut κλέος ὑψηλόν P. III. 111. notione a *turri* deducta: nonnunquam enim opes aut potentia a poëtis *turris* aut *columnae* imagine proponitur. Quam imaginem videtur ob oculos habuiſſe Solon. fr. V. 9. ſq.

πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοὶ, παραγίγνεται ἀνδρὶ
ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος ἐς κορυφήν.

Similiter *gloria* a Pindaro nomine πύργος notatur Isth. V. 57. atque *ſapientia* ab Aristoph. nominatur καλλιπύργος. Nub. 1020. — ἀνεκὰς vulgo acceptum pro *eminus*, ſive *coelitus*, οὐράνοθεν. Sed tum ſcribi debuiſſet ἀνέκαθεν, teste Boeckh. qui recte, ut opinor, affirmat, ἀνεκὰς hac ſignificatione numquam uſurpari, ſed ſignificare *in ſublime*, *ſurſum*. Itaque ἀνεκὰς πέμπειν ſignif. *in altum tollere*, *augere*. Similis dictio est Pyth. VIII. 80. ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων. et Pyth. X. 70. ὑψοῦ φέροντι νόμον Θεσσαλῶν, i. e. εἰς ὕψος αἴρουσιν. Schol.

vs. 24.

vs. 24. ἕπεται δὲ λόγος. κ. τ. λ. Jam refert illas sententias ad Cadmi filias, quae gravibus afflictae aerumnis, postea in deorum numerum receptae sunt. — ἕπεται i. e. ἁρμόζει, ἀκολουθεῖ: *dicta quadrant in Cadmi filias*. cf. Heyne. sic τὰ ἑπόμενα dicuntur, quae cuique rei cohaerent aut eam consequuntur. Vid. Ast ad Plat. Legg. 381. — εὔθρονος Deorum epitheton; sic Ὧραι εὔθρονοι Pyth. IX. 62. εὔθρονος Ἀφροδίτη. Isthm. II. 5. quae a Sapphone ποικιλόθρονος dicitur; similiter χρυσόθρονος, alia: nam θρόνος Diis erat propria sedes. cf. infra vs. 58. seq. Ol. XIV. 11.

vs. 25. πένθος δὲ πιτνεῖ. Narratio in sententiam conversa: nam quod de Cadmidarum fortuna dicendum erat, hoc γνωμικῶς extulit poëta. Possit hoc alicui displicere, praesertim cum ejusdem sententiae repetitio sit, quam modo habuimus vs. 21. Atqui haec ratio a Pindarico more non abhorret. Vid. e. g. Ol. VII. ubi vs. 30. (αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ κ. τ. λ.) in media narratione eadem repetitur sententia, quae paullo ante praecesserat, vs. 24. Quamobrem emendatione non opus est. Κρεσσόνων comparativus vim habet positivi, quo in eadem sententia modo usus est, vs. 35. ἐσλῶν. Sic infra vs. 68. ἀπονέστερον βίοτον pro ἄπονον: et ita sexcenties apud poëtas.

vs. 27. Ζώει μὲν κ. τ. λ. Suavissime Pindarus harum puellarum felicitatem describit. Ipsa *Semeles* fabula, quam Jovis amantis fulmine percussam interiisse ferunt, satis nota ex Ovidio, Metam. III. 260—309. Apollod. III. 4. sect. 3. ad q. l. Heyn.

Heyn. add. Lucian. Dial. Deor. IX. T. I. p. 228. Hemst. Julianus Orat. V. Deinde a Baccho filio ex inferis in coelum deducta, *Thyone* est appellata. Vid. Valcken. Diatr. Eurip. p. 154. Heyne ad Apollod. III. 5. sect. 3. cf. Pind. Pyth. III. 98. sq. ubi Boeckh. Hinc Bacchus *Semeleius Thyoneus* dictus Horat. Carm. I. 17. 23. Semelen gravidam furentem in scenam induxit Aeschylus. — *βρόμῳ κεραυνοῦ*, i. e. *ἀστραπαῖς ὁμοῦ καὶ βρονταῖς*· ut verbis Apollodori utar. — *τανύθειρα* appellatur, frequenti Dearum et mulierum cognomine; ut *εὐέθειρα*, *ἠΰκομος*, *καλλίκομος*, *καλλιπλόκαμος*, quae saepe apud Homerum et Hesiodum obvia.

vs. 28. sqq. *φιλεῖ δέ μιν κ. τ. λ.* His vss. declarat universe poëta, Semelen in coelo a Diis honorari et diligi: ut de Hercule Isthm. III. 76. (IV. 99. Heyn.) seqq.

νῦν δὲ παρ' Αἰγιόχῳ κάλλιστον ἔλβον
ἀμφέπων ναίει, τετίματαί τε πρὸς ἀθανάτων φίλος.

Memorat autem primores inter Deos, quibus ea maxime cara erat: ut Jovem, amatorem ejus, una cum filia Minerva; tum Bacchum, ipsius Semeles filium. Bacchi cognomen *κισσοφόρος* etiam alibi occurrit: ut apud Aristoph. Thesmoph. 997. Minerva autem cum patre Jove studio et amore maxime erat conjuncta. Hinc etiam in Scol. (Brunck. Anal. T. I. p. 156.) IX.

Ἄνασσ' Ἀθηνᾶ, ὄρθου τήνδε πόλιν,
σύ τε καὶ πατήρ.

 Aeschyl.

Aefchyl. Eum. 987.

Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς
ὄντας ἅζεται πατήρ.

vs. 31. *λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ κ. τ. λ.* *Inûs* fabulam item narravit et ornavit Ovidius, Metam. III. 416—541. cf. Apollodor. I. 9. fect. 1 et 2. III. 4. fect. 3. Erat autem Semeles foror et Bacchi pueruli nutrix; at Juno illi irata maritum ejus Athamantem in rabiem egit: quem fugiens furentem Ino una cum filio Melicerta in mare fe praecipitem dedit; mox ambo in Deos marinos recepti funt, atque Ino *Leucotheae* nomine appellata. Fabulam *Ino* infcriptam dedit Sophocles, item Euripides, cujus fragm. illustravit Valcken. Diatr. Eur. p. 173. Vid. etiam, quae notavit Hemfterh. ad Lucian. Dial. Mar. IX. T. I. p. 312. Creuzer ad Cicer. N. D. III. 15. Pindarus, ad Homeri rationem (Od. E. 334.), fimplicisfime rem expofuit. Caeterum utraque et Ino et Semele facris honoribus apud Thebanos cultae fuisfe videntur. Vid. Pindar. Pyth. XI. pr. et Boeckh. ad. h. l. — *βίοτον ἄφθιτον*, i. e. *θεῖον*. Vid. Hefych. in V. et not. ad h. l.

vs. 33. *ἤτοι βροτῶν κ.τ.λ.* Graves fententiae de fortunae humanae inconftantia, deque fati vicisfitudine; quae ad Cadmidarum, Laji, Oedipodis, rell. cafus fpectant, ad quos deinde vs. 39. ipfe has fententias refert poëta. Sed fenfus horum vsf. non ftatim patet. — *κέκριται* ductum a *κρίνειν*, quod proprie notat *res feparare*; hinc ad mentem translatum, *judicare*, ex-

explorare, *cognoscere*: itaque κέκριται h. *exploratum est*, *certo cognitum est*. Hesychius: κεκριμένη — σαφής, εὔδηλος. — Jam hoc modo sententiam interpretantur: sane vitae terminus non distinctus neque apertus est; nempe *quando futurus sit*. At poëta non agit h. l. de incerto vitae termino, sed de fortunae in vita varietate et inconstantia. Quamobrem ita potius haec accipienda puto: Sane haud exploratum est hominibus, *qualis* vitae exitus sive mortis terminus futurus sit: i. e. utrum beati, an miseri diem supremum obituri simus. Tum seqq. bene cum his congruunt, in quibus vereor, ut verum sensum assecuti sint intpp. Vulgo sic legitur: οὐδ᾽, ἀσύχιμον ἁμέραν ὁπότε, παῖδ᾽ ἀλίου, ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν. post οὐδ᾽ cogitatione repetunt praegressum κέκριται. Impeditam vero haec praebere sententiam, fatentur omnes. Sin tollas interpunctionem post οὐδ᾽, omnis, opinor, difficultas evanescit. Tum ordo verborum hic est: ὁπότε οὐδ᾽ ἀσύχιμον ἁμέραν, παῖδ᾽ ἀλίου, ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν. Sensus: Nemini profecto certum, num stabili ad mortem usque felicitate fructurus sit: quoniam ne diem quidem unum tranquillum, constanti cum felicitate, acturi sumus. ὁπότε et ὅτε nonnumquam significat *siquidem*, *quandoquidem*. Vid. Hoogeveen de Partic. Cap. XXXV. Sect. II. §. 8. Cap. XXXVII. Sect. I. §. 4. Convenit igitur horum versuum sententia cum iis, quae Croeso praecepit Solon, apud Herod. I. 32. „ Incertas et turbulentas esse res humanas, nec

 an-

ante mortem quemquam felicem posfe praedicari." Quam fententiam multi expresferunt: ut Sophocles in Tyndareo, Trachiniis et Tereo (in Tyrone male ponitur apud Stobaeum); Euripides in Cresfis; Dionyfius tyrannus in Leda: quae loca exftant in Stobaei floril. Tit. CV. p. 430, 435, 437, 439, Simonid. (Anal. Brunck. T. I. p. 128.) XVIII.

νοῦς δ' οὐκ ἐπ' ἀνθρώποισιν, ἀλλ' ἐφήμεροι,
ἀεὶ βροτοὶ δὴ ζῶμεν, οὐδὲν εἰδότες,
ὅπως ἕκαστον ἐκτελευτήσῃ θεός.

In fimilem fententiam interpretandi funt vsf. Nem. VI. 6. fq.

—ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες, οὐδὲ μετὰ νύκτας ἄμμε πότμος
οἵαντιν' ἔγραψε δραμεῖν ποτὶ στάθμαν.

q. l. illustravit Disfen. Explic. p. 404.

vs. 37. ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι. κ. τ. λ. Fortuna varia femper et mobilis per ῥοὰς defignatur. Sic etiam ῥέειν et ῥεῦμα de fortuna ufurpari folent: incert. apud Stob. Ecl. Phyf. Grotii, p. 135. ἅπαντ' ἐρῶ ἅμα τῇ τύχῃ ῥέοντα. Palladas (Anal. Brunck. T. II. p. 431.) CXXI. *vicisfitudines vitae* appellat ῥεῦμ' ἄπιστον τῆς ἀνωμάλου τύχης. cf. Mitsch. ad Horat. Carm. III. 29. 33. Id. Epist. II. 12. 9. Hinc εὐροεῖν et εὔροια de *prospera fortuna*. Vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 652. Wyttenb. ad Plutarch. de S. N. V. p. 14. Non minus frequens est fortunam *flatus* vel *aurae* nomine a poëtis fignificari. Pindar. Ol. VII. extr.

——— ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου,
ἄλλοτ' ἀλλοῖαι διαιθύσσουσιν αὖραι.

Pyth.

Pyth. III. 104. Isthm. III. 23. (IV. 8. Heyn.) Silentiar. (Anal. Brunck. T. III. p. 93.) LXXI. Utramque notionem conjunxit Aeſchyl. Perſ. 600.

ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ, πεποιθέναι,
τὸν αὐτὸν αἰεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχης.

ubi non necesſaria videtur Lennepii emendatio, οὐρίσῃ, pro εὐροῇ, ad Phalar. p. 86. Caeterum hanc ſententiam univerſe enuntiatam esſe a Pindaro, vix opus est, ut moneam.

vs. 39. οὕτω δὲ—χρόνῳ. Jam declarata fortunae humanae vicisſitudine, ad ipſam redit poëta Cadmeam gentem, quae, post divinos Cadmeidarum honores, multas deinde aerumnas fuerat experta: quas inde a vs. 42. breviter exponit. Μοῖρα est providentia divina, in perſonam mutata, ſive ipſe Deus; idem quod ſupra vs. 23. θεοῦ μοῖρα cf. Aeſch. Agam. 130. 1537. — πότμος πατρῷος, ſors Cadmi filiarum, quae majores erant Theronis ejusque familiae, quibus coram carmen cantabatur: unde dixit τῶνδε· — haec ſors dicitur εὔφρων, i. e. *beata, felix:* Aeſchyl. Agam. 1578. cui opponitur δύσφρων, *asper, gravis:* infra vs. 57. — ἔχει *tenet, regit, tuetur.* — ὄλβος θέορτος. *felicitas divinitus data;* i. e. θεῖος, *divina;* ſpectat ad mulierum illarum ἀποθέωσιν. Eodem ſenſu habet Aeſchylus Prom. 765. θεόρτου, ἢ βρότειον. Similiter Pyth. IV. 69. θεόπομποι τιμαί. i. e. θεῖαι (ut bene Schol.), de *honore regio.* — ἐπάγει praeſens tempus de re praeterita, quod majorem affert narrationi viem. Quod ad ſententiam attinet, nota est Graecorum illa de fato opinio:

Μοῖρα δέ τοι θνητοῖσι κακὸν φέρει ἠδὲ καὶ ἐσθλόν.
ut est in carmine Solonis. Iidemque existimabant, quod praefertim praedicarunt tragici, homines cum ad fummum felicitatis fastigium evecti esfent, faepe a ftatu illo divinitus dejectos, in pesfima ruere. Pindar. Pyth. VIII. 96.

ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν
τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί,
ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον.

cf. Aefchyl. Agam. 755. feqq. Huc etiam pertinet dictum Artabani ap. Herodot. VII. 10. fect. 50. et quae fub ejusdem et Amafidis perfona dicuntur VII, 46. III. 40. Itaque non folum calamitates, fed causfas etiam calamitatum, fcelera, ut hoc loco Oedipodis (quod mox videbimus), a Divino numine vel fato repetebant. Hinc Aefchylus dicit:

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλει.

quem locum attulit et explofit Plato Rep. II. 19. pag. 380. A. cf. Sophocl. Antig. 620. fqq. ad q. l. cf. Schol. Alia dedit doctisf. Brouwer. Comment. Sophocl. p. 45—48.

vs 42. ἐξ οὗ περ—τέλεσσεν. Hos vsf. cum praecedentibus conjunxerunt intpp. quod equidem non valde probo: nam verba illa ἐξ οὗ, five χρόνου intelligatur (*ex quo tempore*), five ad μοῖραν referas (*ex qua fati lege*), tranfitum omnino jejunum, nec Pindarica vi, quae in hoc carmine dominatur, fatis dignum praebere videntur. Levi autem emendatione pristinam formam huic loco reddidisfe me fpe-

ſpero. Priores tres verſus: ἐξ οὗ περ — τέλεσσεν, ſunt protaſis, ſequentia apodoſin continent. Jam ſingula videamus. — ἐξ οὗ ſive ἀφ' οὗ ſcil. χρόνου, idem ſignificat quod ἐπεί: ſimiliter occurrit Iliad. I. 6. al. Quod autem in apodoſi poſita eſt particula δὲ, poſt ἰδοῦσα, hoc nihil offendit. Ita apud Heſiodum Ἔργ. 291. ſq. ubi arduam virtutis viam deſcribit, haec leguntur:

ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Homerus H. in Vener. 229. ſqq. de Tithono:

αὐτὰρ ἐπεὶ πρῶται πολιαὶ κατέχυντο ἔθειραι
καλῆς ἐκ κεφαλῆς, εὐηγενέος τε γενείου,
τοῦ δ' ἤτοι εὐνῆς μὲν ἀπείχετο πότνια Ἠώς.

Thucyd. II. 65. de Pericle: ἐπειδὴ τε ὁ πόλεμος κατέστη, ὁ δὲ Φαίνεται καὶ ἐν τούτῳ προγνοὺς τὴν δύναμιν. Plato Rep. IV. 9. p. 431. A. ὅταν δὲ ὑπὸ τροφῆς κακῆς ἢ τινὸς ὁμιλίας κρατηθῇ ὑπὸ πλήθους τοῦ χείρονος σμικρότερον τὸ βέλτιον ὄν, τοῦτο δὲ ὡς ἐν ὀνείδει ψέγειν τε (κελεύει) καὶ καλεῖν ἥττω ἑαυτοῦ — Locum igitur hunc ſic vertamus: *Poſtquam Oedipus, Lajo patre occiſo, Apollinis oraculum explevit, Erinnys quidem filios ejus mutua caede trucidavit.* Quod ad rem attinet, *Laji* et *Oedipodis* historia, a poëtis Graecorum tragicis maxime celebrata, cognosci poteſt ex Apollodoro III. 5. ſect 7. extr. Antiquisſimam eandemque ſimplicisſimam fabulae faciem praebet Ulysſes, in Homer. Od. Λ. 270–280. Quam varie deinde a tragicis fuerit ornata, docet Schutz. ad Aeſchyl. Sept.

 adv.

adv. Th. Exc. I. Oedipus appellatur a Pindaro μόριμος υἱὸς, quippe qui ad patris caedem fatalis, five fato destinatus erat; fecundum Apollinis responfum Lajo de prole confulenti datum: quod oraculum exftat in argumento fabulae Sophoclis Oedip. Tyr. Euripidis Phoenisf. alibi. Fatales Oedipodis aerumnas divinitus expofuit Sophocles in fabula laud. Homerus etiam l. c. ei omnia haec mala accidisfe ait, θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς.

Sequitur fatum filiorum Oedipodis, *Eteoclis* et *Polynicis*, qui bello Thebano mutua caede occiderunt. Totam historiam narrat Apollod. III. 6. Fratrum vero pugnam copiofe describit Eurip. Phoen. 1365. fqq. Hanc igitur calamitatem repetit Pindarus e divina paterni fceleris vindicta. Erat enim haec infita veteribus opinio, propter parentum fcelera non minus ipfos, quam liberos, nepotes, posteros, quamvis infontes, plecti: teste Hefiod. Ἔργ. 282. Solon. V, 27—32. aliis. Ultionem exigit *Erinnys*, modo una, modo plures; ut jam apud Homerum et deinde apud Tragicos. Ea dicitur ὀξεῖα, quod epitheton vel de ira, vel de oculorum acie accipi potest; quorum fi optio datur, prius certe praeferendum mihi videtur, ut Erinnys dicatur *acris*, *vehemens*; five, ut Homerus, στυγερὴ, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα· Aefchyl. Agam. 1502. ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ. Sed alia etiam ratio fuperest, qua ὀξεῖα non cum nomine, fed cum verbo ἰδοῖσα jungatur: fic ὀξεῖα dictum pro ὀξέα, five ὀξύ; ut apud Hefiod. Sc. Herc. 348. ὀξεῖα κρέμισαν.

Ver-

Vertendum vero ita: *Erinnys truculenter intuens, genus ejus occidit.* Haec interpretatio mihi placet. Cf. Apollon. Rhod. IV. 476. — ἔπεφνε οἱ γένος, pro αὐτοῦ γένος. ut Pyth. IV. 48. αἷμά οἱ. et faepius. cf. fupra ad vs. 16. — σὺν ἀλλαλοφονίᾳ i. e. δι' ἀλλαλοφονίας, ut faepius. fic Pyth. IV. 203. σὺν νότου δ' αὔραις τεμπόμενοι. Pyth. IX. 119. σὺν δ' ἀέθλοις ἐκέλευσεν διακρῖναι ποδῶν. Pyth. X. 57. σὺν ἀοιδαῖς θαητὸν θησέμεν.

vs. 47. λείφθη δὲ Θέρσανδρος κ. τ. λ. *Therfander*, Polynicis ex Argia filius, inter Epigonos fuit, qui bellum Thebanum post decem annos, renovarunt; cujus exitus fuit, ut Therfandro urbs traderetur et vastaretur. Qua de re docte Heynius ad Apollod. III. 7. fect. 2. in not. p. 638. fqq. ed. 1783. Idem inter Trojanos duces fuit, etfi non memoratus ab Homero. cf. id. ad Virg. Aen. II. 261. Ad illud bellum fpectant Pindari verba: ἐν μαχαῖς τε πολέμου τιμ. — his junguntur νέοι ἄεθλοι, *certamina juvenilia* five *ludicra*, quorum laus proxime cum bellica laude erat conjuncta. Sic νέῳ θράσει Aefch. Perf. 741. cf. ibid. 779.

vs. 49. Ἀδραστιδᾶν — δόμοις. Jung. Ἀδραστιδᾶν θάλος, *germen Adrastidarum*; quippe ortus ab Adrasti filia, Argia. Cavendum vero, ne ducas, ut Schmidius, ab Ἀδραστίς (*Adrasti filia*), ut fit pluralis pro fingulari: nam neque pluralis pro fingulari ita poni potuisfet, neque Adrasti filia appellatur Ἀδραστίς, fed Ἀδραστίνη, five Ἀδρηστίνη; et fi vel maxime ita appelletur, tamen ab Ἀδραστίς non du-

citur 'Ἀδραστιδᾶν, ſed 'Ἀδραστίδων: quod etiam monuit Heynius. Sed ducendum ab 'Ἀδραστίδης; ut ad univerſum Adraſtidarum genus referatur, quod proprie ad unam Adraſti filiam pertinebat. Similiter fere loci illi explicandi ſunt, ubi vulgo pro ſingulari pluralem obtinere putant. Pyth. IV. 3.

Μοῖσα, Λατοΐδαισιν ὀφειλόμενον Πυθῶνί τ' αὔξῃς οὖρον ὕμνων.

ubi Λατοΐδαι ad *Apollinem* ſpectat, Pytheorum praeſidem. Ol. IX. 59. ſeq.

> ἀρχᾶθεν 'Ιαπετιονίδος φύτλας
> κοῦροι κορᾶν καὶ φερτάτων Κρονιδᾶν.

quo loco Κρονίδαι univerſe pro *Jove*. add. Ol. VI. 68. Pyth. V. 118. Aeſchyl. Choëph. 499. Monuerunt de hac orationis forma VV. DD. Boeckh. ad Pind. Pyth. II. Expl. p. 245. ſq Schutz. ad Aeſchyl. Agam. 186. — θάλος, ἔρνος eleganter de liberis uſurpantur a poëtis: de quo vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. 88. — ἀρωγὸν δόμοις dicitur Therſander propter ipſam Thebarum expugnationem. Simili modo dixit Plato, τὸ ἔλαιον ταῖς τοῦ ἀνθρώπου θριξὶ ἀρωγὸν καὶ τῷ ἄλλῳ σώματι. Protag. 334. B. cit. Boeckh. et apud Aeſchyl. Agam. 229. ſq. ubi vulgo legitur:

> ἔτλα δ' οὖν θύτηρ γενέσθαι θυγατρὸς,
> γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγάν.

haud ſpernendam puto lect. Turn.

> γυναικοποίνῳ πολέμῳ ἀρωγόν.

quae lectio videtur elegantior.

vs. 50. ὅθεν σπέρματος κ. τ. λ. Quod in Var. Lect. breviter indicavi, paullo de eo nunc fusius exponendum est. Boeckh. igitur ita legit: ὅθεν σπέρματος ἔχοντι (ἔχουσι) ῥίζαν. πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου κ. τ. λ. In hac lectione primum mireris, verbum plurale poni, ubi de uno agitur Therone: quamquam hoc levius est; durius vero, ut equidem sentio, hac ratione abrumpitur et divellitur sententia. Quod Schmid. scripsit, ἔχοντα, repugnat omnium codd. et antiquorum intpp. auctoritati; neque facile intelligi potest, si Pindarus scripsisset ἔχοντα, quomodo hoc a grammaticis aut a librariis in ἔχοντι esset mutatum. Quamobrem harum lectionum neutra videtur probanda. Mihi vero non displicet iste casuum dissensus, neque ratione prorsus carere videtur. Etenim v. πρέπει duplici modo construitur, vel cum dativo vel cum accusativo; ut utrumque dici possit: πρέπει αὐτῷ τυγχάνειν, et πρέπει αὐτὸν τυγχάνειν. Utramque constructionem confudit poëta; plenius ita dixisset: ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν τῷ Αἰνησιδάμου πρέπει, αὐτὸν — τυγχάνειν. Quod contractius duplici modo efferre potuit; aut ita, ut nunc legitur: — ἔχοντι πρέπει τὸν Αἰνησ. τυγχάνειν, aut contrario ordine: τῷ Αἰνησ. πρέπει — ἔχοντα τυγχάνειν. Huic lectioni accedit Aristarchi auctoritas, apud Schol. cujus verba ita sunt legenda: Ἀρίσταρχος δὲ οὕτως· ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν τὸν Αἰνησιδάμου κ. τ. λ. ὡς τῶν ἴσων (f. ὥστε ἴσον) εἶναι τῷ· ἀφ' ὧν ἔχοντι τὸ σπέρμα τῷ Αἰνησιδάμου υἱῷ πρέπει λυρῶν καὶ ἐγκωμίων τυγχάνειν. Neque

que similia desunt poëtarum exempla, ubi variantur casus. Aeschyl. Choeph. 396. sq.

πέπαλται δ' αὖτέ μοι φίλον
κέαρ τόνδε κλύουσαν οἶκτον.

cf. Brunck. ad Sophocl. Electr. 479. seq. Magis etiam simile est exemplum in Eurip. Med. 659. sqq.

ἀχάριστος ὄλοιθ', ὅτῳ παρέστι
μὴ φίλους τιμᾶν, καθαρὰν ἀνοίξαν-
τα κλῇδα φρενῶν.

ut ibi legit doct. Lenting. cf. Wyttenb. Biblioth. Crit. Vol. II. Part. I. p. 43. Plura hujus generis afferunt Viger. p. 337. cum annot. ed. Zeun. Matthiae Gramm. Gr. §. 555. not. 3. — ἐγκώμια μέλη sive ἐπικώμια sunt carmina, τὰ εἰς κῶμον ὑμνεῖσθαι ἐπιτήδεια τῆς νίκης (Schol. Nem. VI. 55.); qualia haec Pindarica; de quibus consulatur in primis Thiersch, Proöem. ad Pind. vers. p. 114. sqq. vs. 54. ἔδεκτο, pro ἐδέδεκτο; Homerice.

vs. 54. Πυθῶνι δ' ὁμόκλαρον κ. τ. λ. Post ipsius Theronis victoriam, eas quoque memorat, quas frater illius Xenocrates quondam reportaverat; ludis Pythiis alteram, alteram Isthmiis: utramque Pindarus carmine ornavit, Pyth. VI. et Isthm. II. Male autem hunc locum antiqui explicuerunt grammatici, has victorias Theroni cum fratre communes esse statuentes: quasi alioquin earum mentio inanis hoc loco fuisset, cum poëta Theronem, non Xenocratem se celebrare professus sit. Huc igi-

igitur retulerunt verba: ὁμόκλαρον ἀδελφεὸν (*ejusdem victoriae socium*), et κοιναὶ χάριτες. Antiquos recentiores sunt secuti intpp. Atque hic error alium peperit errorem, ut existimarent victorias, quae Pyth. VI. et Isthm. II. sub Xenocratis nomine celebrantur, ab his esse diversas. Doctis et acutis rationibus haec refutavit Boeckh. cujus auctoritatem nos secuti sumus. Nam neque victorias communi nomine reportatas esse, usquam reperitur, et Pythiam atque Isthmicam easdem hic memorari, quae infra Xenocrati attribuuntur, veterum auctoritas dubitare nos non sinit. Cur vero poëta, postquam τὸν Αἰνησιδάμου, unum *Theronem*, se laudaturum dixit, fratris tamen laudes admiscuit? Caussa in promptu est. Si enim publicae hae victoriae non victorem solum, sed totam ejus domum, totam civitatem ornabant, quanto propius ad fratrem hoc decus pertinebat; praesertim si, ut Theron, vir in sua civitate princeps, et paris in alio certamine laudis socius esset. Hinc illae Xenocratis victoriae dicuntur etiam κοιναί, quarum pars gloriae in fratrem redundabat. Similiter Pyth. VI. 15.

πατρὶ τεῷ, Θρασύβουλε, κοινάν τε γενεᾷ
εὔδοξον ἅρματι νίκαν —

cf. Pyth. V. 102. Etiam Isthm. II. 28. Olympicam Theronis victoriam tanquam fratri communem laudat:

Ὀλυμπίου Διὸς
ἄλσος, ἵν' ἀθανάτοις Αἰνησιδάμου
παῖδες ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν.

ἰμο-

ὁμόκλαρος ἀδελφεὸς duplici modo accipi potest: *ejusdem ſortis*, nempe victoriae, *particeps;* vel *ejusdem patrimonii conſors*, i. e. *frater germanus.* Neutrum male. Restat ut videamus de dictione: κοιναὶ χάριτες — ἄγαγον: utrum χάριτες ſimpliciter dictae ſint *victoriae*, an vero *Gratiae victoriam afferentes* (quo ſenſu ſcrib. Χάριτες). Hae enim Deae, quarum munere

τά τε τερπνὰ καὶ
τὰ γλυκέα γίνεται πάντα βροτοῖς,

(ut Pindarus ait) etiam hymni et victoriae decus miniſtrare a lyricis finguntur. Itaque ſaepe ſunt Muſarum loco: ut Pyth. V. 45. collato Isthm. VII. 23. inde Χαρίτων κᾶπον (Ol. IX. 29.) eodem ſenſu dicit, quo Nem. VI. 36. Πιερίδων ἀρόταις. — De chorago autem victore ita Simonides (inter Callimachi Epigr. ed. Ern.) L.

ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς,
αἳ οἱ ἐπ' ἀνθρώποις ὄνομα κλυτὸν, ἀγλαὰν τε νίκαν
θῆκαν, θεᾶν ἰοστεφάνων ἕκατι Μοισᾶν.

Sed ſaepe χάρις et χάριτες eſt idem prorſus atque νίκη. v. c. Ol. VIII. 57. Pyth. XI. 12. Isthm. II. 19. ubi Ἐρεχθειδᾶν χάριτες dicuntur *victoriae honores, in ludis Athenienſium:* de *hymno* dicitur Isthm. I. 6. Similiter hoc loco κοιναὶ χάριτες ſunt κοιναὶ νῖκαι; ut κοινὰ χάρις. Pyth. V. 102. Aliter ſentit Boeckh. „ Χάριτας, inquit, ut pro Deabus habeamus, univerſae dictionis ratio ſuadet." Quod mihi non ita videtur: nam uti h. l. χάριτες ἄνθεα ἄγαγον, ſimiliter Nem. XI. 19. dicit:

ἐκ-

ἐκκαλέσει᾽ Ἀρισαγόραν
ἀγλααὶ νῖκαι πάτραν τ᾽ εὐώνυμον
ἐςεφάνωσαν. κ. τ. λ.

Alibi etiam in hujus vocis interpretatione non possum Viro cl. assentiri. Ol. XIII. 18. sq.

ταὶ Διωνύσου πόθεν ἐξέφανεν
σὺν βοηλάτᾳ χάριτες διθυράμβῳ;

χάριτες non sunt *Gratiae*, sed *solennia* Bacchi *festa*, (ductum a *χάρις*, *gaudium*), in quibus dithyrambi celebrabantur: quae festa a Simonide l. l. *ὧραι αἱ Διωνυσιάδες* appellantur. Similiter accipio Ol. IV. 7. seqq.

ἀλλ᾽ ὦ Κρόνου παῖ, —
Οὐλυμπιονίκαν δέκευ
χαρίτων ἕκατι τόνδε κῶμον.

quo loco *χάριτες* eodem spectant, quo id, quod initio dixerat, *τεαὶ γὰρ ὧραι* intell. *festum Jovis Olympicum*. cf. Callim. II. in Apoll. 37. ubi Spanhem. Poëta nimirum per illud festum, ad quod celebrandum venerat, Jovem precatur, ut benivola mente Psaumidis victoris pompam recipiat. Haec quidem velut ἐν παρόδῳ. — *ἄνθεα τεθρ.* sunt *ςεφάνοι*, coronae quadrigis reportatae: ut Ol. VII. 80. cf. ad Ol. VI. 26.

vs. 56. *τὸ δὲ τυχεῖν κ. τ. λ.* Verba ita cohaerent: *τὸ δὲ πειρώμενον (τινὰ) ἀγωνίας τυχεῖν, παραλύει δυσφρόναν.* Articulum neutrius generis universae sententiae anteponi, notum est. — *τυχεῖν*, absolute positum, significat *propositum consequi*, *feliciter rem gerere*, h. e. *vincere*. Similiter N. VII. 11. *εἰ δὲ*

τύ-

τύχῃ τις ἔρδων. Thucyd. III. 39. τυχόντες μὲν — σφαλέντες δέ. IV. 63. ἀλλὰ καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν κ. τ. λ. Proprie de jaculatoribus scopum tangentibus hoc modo dicitur: ut apud Homer. Il. E. 287.

ἤμβροτες, οὐδ' ἔτυχες. —

cf. Stephan. Thes. T. III. p. 1442. pr. — δυσφρόνων. δύσφρων ab hominibus ad negotia translatum, significat *durus*, *asper*. Aeschyl. Agam. 834. de *invidia* ait:

> δύσφρων γὰρ ἰὸς καρδίαν προσήμενος
> ἄχθος διπλοίζει τῷ πεπαμμένῳ νόσον.

Sed posterior vs. corruptus videtur; leg. puto:

> ἄχθος διπλοίζει τῷ πεπαλμένῳ νόσου.

i. e. *grave telum lateri adhaerens vulnerato duplicat morbi* sive *doloris vim*. Hesych. πεπαλμένος. βεβλαμμένος. sic etiam Phot. Lex. MS. monente Alberti. Ibid. vs. 100. μερίμνη κακόφρων. Itaque τὰ δύσφρονα sunt *aerumnae*, *labores*: quorum levamen praebet victoria. cf. Ol. VIII. 7.

vs. 58. ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς κ. τ. λ. Locus hic est praeclarus et lyrico spiritu praecipue insignis; at propter hanc ipsam caussam, paullo ad intelligendum difficilior: unde varie acceptus est ab intpp. Quorum sententiis integris relictis, nos nostra ratione, ex carminis indole, loci sensum elicere conabimur. — Pindarus in antecedd. maxime celebravit fortunae varietatem in Theronis stirpe conspicuam; cui opponit praesentem Theronis prosperitatem: quod jam indicavimus ad vs. 17 — 24.

Lau-

Laudatis igitur hujus viri victoriis, jam opes illius et virtutes, ut optimum fortunarum ferendarum vitaeque tranquille et juste degendae praesidium, laudare parat. Hoc autem non vulgari ratione perfecit. Nam, omissa Theronis mentione, ipsas opes, ipsas virtutes extollit et praedicat. Quod ne obscurum alicui videatur, cogitandum est, publice hoc carmen et praesente Therone esse cantatum; cujus opes et virtutes omnium erant oculis expositae. Itaque nihil hac ratione illustrius et ad vim lyricam praeclarius. — πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος i. e. πεποικιλμένος, κεκοσμημένος: complectitur opes, honores, virtutes, victoriarum item in certaminibus decus (quae eximie ἀρεταὶ appellantur a Pindaro Ol. IV. 11. IX. 18. Pyth. III. 114. al.). Ambo haec, tamquam maxima bona, ab Hercule precatur Homerus, H. in Herc. XIV. extr. et a Jove Callimachus H. in Jov. 94.

χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι, δίδου δ' ἀρετήν ἄφενός τε·
οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο· δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

q. l. citat etiam schol. Sapphûs fragm. λή. — Talis sors si cui contigit, φέρει τῶν τε καὶ τῶν καιρόν, *fert tam adversarum, quam prosperarum rerum opportunitatem*, i. e. μοῖραν, *portionem a fato certo tempore tributam.* Eodem sensu dixit Pyth. I. 57. sq. ὧν ἔραται καιρὸν διδούς. Nem. VII. 58. τὶν δ' ἐοικότα καιρὸν ὄλβου δίδωσι Μοῖρα. Similiter fere dixit Thucyd. II. 42. extr. καιρὸν τύχης: ubi vid. Gottleber. — Dictio τὰ καὶ τὰ eodem sensu usurpa-

tur Pyth. V. 55. plura exempla praebent Heyne ad h. l. et Boeckh. not. crit. ad Isthm. IV. 58. Sensum recte explicat vetus intp. his verbis: ὁ πλούτῳ κεκοσμημένος καὶ ἀρεταῖς κατάκοσμος οὔτε ὑπὸ τῆς ἐπελθούσης αὐτῷ εὐτυχίας ἐπαίρεται, οὔτε ὑπὸ δυστυχίας χαυνοῦται. — βαθεῖαν ὑπέχων μέριμναν ἀγροτέραν. μέριμναν, i. e. φρόντιδα τῶν καλῶν, *rerum honestarum curam et contentionem:* in quibus etiam censendum gloriae e certaminibus reportandae studium, quod eximie μέριμνα a Pindaro dicitur, teste Boeckh. add. fragm. incert. LXXXII. p. 84. ed. Schneid. — ἀγροτέραν, *feram* sive *acrem* (κρατερὰν), ut apud Latinos *atrox*, *ferus*, *saevus*, pro *acri* et *bellicoso* a poëtis dicitur. Antiqui grammatici interpretantur, ἀγρευτικὴν et θηρευτικὴν τῶν καλῶν, quod tuetur Boeckh. sed mihi non placet. Verbum ὑπέχων bene congruit cum praecedenti φέρει. Huic loco similis Pyth. V. init.

ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής,
ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ
βροτήσιος ἀνὴρ, πότμου παραδόντος αὐτὸν, ἀνάγῃ
πολύφιλον, ἑπέται.

cf. Pyth. II. 56. — ἀστὴρ ἀρίζηλος. Praeclare ad talis fortunae splendorem et dignitatem exprimendam. Similiter de Fama nobili dicit Istm. IV. 42.

λάμπει
Ἀωσφόρος θαητὸς ὡς ἄστροις ἐν ἄλλοις.

ἐτήτυμον ἀνδρὶ φέγγος, i. e. *lumen*, *decus* atque *salus:* ut φάος Homer. Il. O. 282. Pind. Ol. IV. 11. cf. omnino Pyth. VIII. 100. sqq.

vs. 62.

vs. 62. εἰ δέ μιν ἔχων τις, οἶδεν τ. μ. Participium ἔχων pro ἔχων ἐςὶ five ἔχει, ut Boeckhio placet, accipiendum videtur. Cujusmodi ἀνακολουθίας exempla etiam aliis locis funt obvia: utapud Homer.Il. Ω 41. fqq

λέων δ' ὣς ἄγρια οἶδεν,
ὅς τ' ἐπεὶ ἂρ μεγάλῃ τε βίῃ καὶ ἀγήνορι θυμῷ
εἴξας, εἶσ' ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν.

ubi verborum confequentia requirebat: ἐπεὶ — εἶξεν. Similiter participium interdum ponitur apud Homerum, ubi fequi debebat infinitivus: exempla praebet Fr. Thierfch. Gramm. dial. Homer. §. 348. 7. — μιν, nempe τοῦτο τὸ φέγγος. Senfus igitur est: fi cui tale lumen adest, is profecto pie justeque deget: quippe non ille nescit, quae futura fint, fed deorum reveretur post mortem judicium. Ita fere Boeckhius. Caufa et ratio hujus fententiae pofita in pervulgata illa Graecorum opinione, majores opes et fortunas faepe a moderatione avertere, et ad fuperbiam fastumque homines perducere; ut est in verfu illo Solonis:

τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται.

Qui vero cum opibus virtutem jungit, et quae post mortem futura fint, meditatur, hic ab omni injustitia et fuperbia abhorret. — Caeterum, quod ad futurarum rerum cognitionem attinet, de his nonnumquam certiores fieri homines existimabant fomniorum vifis, cum mens, corporis officiis libera, acrius aciem intendat et futura prospiciat: ut ait Pindar. in fragm. Thr. II. pag. 23. Schn. ubi de diviniore illa et aeterna hominis parte haec effert:

τὸ γὰρ μόνον ἐστὶν ἐκ θεῶν·
εὕδει δὲ πρασσόντων μελέων,
ἀτὰρ εὑδόντεσσιν ἐν πολλοῖς ὀνείροις
δείκνυσι τερπνῶν ἐφέρπουσαν
χαλεπῶν τε κρίσιν.

Latine ita: *hoc solum est divinum: dormit autem, dum corpus agit* sive *laborat; sed, dormiente corpore, saepe per insomnia hominibus aperit futura bonorum praemia et malorum poenas.* Hinc paene expressa videntur ea, quae ait Cicero Divin. I. 30. „ Cum est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet. Jacet enim corpus dormientis, viget autem et vivit animus." Similis est locus Aeschyl. in Eumen. 104. sq. Praeterea in mysteriis plura de immortalitate et futuro animorum statu tradita esse, antiquorum testimonia indicant, ut nobile illud Isocratis, Panegyr. cap. VI. et Ciceronis de Legg. II. 14. ubi plura attulerunt intpp. Pindarus ipse de initiatis ita canit:

ὄλβιος, ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα
κοίλαν εἶσ' ὑπὸ χθόνα·
οἶδεν μὲν βίου τελευτὰν, οἶδεν δὲ
διόσδοτον ἀρχάν·

Beatus ille, qui, his spectatis, sub terram cavam decedit: novit tam vitae exitum, quam initium a Jove constitutum. fragm. Schn. pag. 83. quod fragmentum recte inter Threnos relatum est a Boeckhio. Ei lumen affundit, praeter Sophoclis fragm. a Schneidero lau-

laudatum, Aristophanes Ran. 454. Plato Phaed. p. 22. Wytt. *κινδυνεύωσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταστήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι, ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος, ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει.* Ex his autem mysteriis quaedam in hunc locum fluxisse, equidem suspicor.

vs. 63. *ὅτι θανόντων κ. τ. λ. ἐνθάδε, in hac terra;* jung. cum *θανόντων*, non cum *ἀπάλαμνοι*, ut schol. fecit, — *αὐτίκα* nempe *ἐν ᾅδου* seu *κατὰ γᾶς*, uti mox dicit, — *ἀπάλαμνοι φρένες* sunt animi improborum. *ἀπάλαμνος* proprie est *debilis*, *imbecillus:* ut notat Hesychius; quo sensu occurrit Il. E. 597. tum *ignavus*, *iners:* ut apud Hesiod. Ἔργ. 20, unde tandem, uti h. l., de homine *nequam* et *improbo* dicitur.

vs. 64. *τὰ δ' ἐν τᾷδε κ. τ. λ.* Hinc jam copiosius inferi describuntur, in quos homines statim post mortem veniunt. Qui sceleribus in vita se macularunt, e judicis sententia poenis illic plectuntur; qui vero pie justeque vixerunt, omnium laborum expertes facile ibi ac suaviter degunt. Idem argumentum in Threnis praesertim a Pindaro celebratum esse, eorum fragmenta ostendunt. Atque hujusmodi *νεκυίας* plures poëtae inde a principe Homero (Od. Λ.) finxerunt; quem imitatus est Latinorum poëtarum in primis Virgilius (Aen. VI.). Poëtarum exemplum secuti sunt philosophi, qui similia, plerumque sub fabularum specie, novisque

 fic-

fictionibus aucta, retulerunt; ut Plato de Rep. X. Gorg. p. 523. sq. Phaed. cap. 64. sq. pag. 89 - 92. Wyttenb. Aeschines, qui appellatur, Axioch. cap. 19-22. cum nostro maxime comparandus. Plutarchus de S. N. V. p. 83. ad fin. Wyttenb. — τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ ἀλιτρὰ sunt peccata *in hac vita* commissa. Eodem sensu Valer. Flac. I. 788.

Vos quibus imperium Jovis *et non segne peractum*
Lucis iter. —

δικάζει τις. Schol. judicem intelligit Plutonem, quem hoc nomine memorat Aeschylus, Eumen. 273.

Μέγας γὰρ Ἅιδης ἐςὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός.

hoc tamen incertum, et non quaerere praestat. — ἐχθρᾷ ἀνάγκᾳ, *infesta* sive *dura necessitate*: διότι ἀπαραίτητόν ἐςι τὸ ἐκεῖ δικαςήριον. Schol.

vs. 67. ἴσον δὲ νύκτεσσιν κ. τ. λ. Suavis haec beatae vitae descriptio, qua boni, a judice dimissi, in inferorum regione fruuntur. Ibi sol dies noctesque lucet: nimirum non idem ille, qui terras illustrat (quod esset absurdum), sed sol ab hoc diversus et inferorum sedibus proprius: ut apud Virgilium Aen. VI. 640. sq.

Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.

Valer. Flaccus I. 844.

ubi sol totumque per annum
Durat aprica dies. —

Aeschin. Axioch. cap. XX. οὔτε γὰρ χεῖμα σφοδρὸν οὔ

τε θάλπος ἐγγίγνεται, ἀλλ' εὔκρατος ἀὴρ κεῖται, ἁπαλαῖς ἡλίου ἀκτῖσιν ἀναψυχόμενος. — Aliter rem ornavit in fr. Thren. I. p. 21. Schn. ubi fingit, ſolem post occaſum ad inferos delabi, quos per nocturnum tempus illustrat:

τοῖσι λάμπει μένος ἀελίου
τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω.

cf. Heyn. annot. ad Virgil. Aen. VI. 640.

vs. 68. ἀπονέστερον, pro vulgari ἀπονώτερον, etſi illa forma ſatis etiam frequentata et jam Homero cognita fuit Il. B. 190. ubi Euſtathius, nostrum quoque locum afferens, multis de ea disputat, atque inter alia hoc dicit: πλεονάζει δὲ τοιαύταις παραγωγαῖς καὶ ὁ Πίνδαρος. cf. infra 104. Pyth. V. 18. ubi olim legebatur αἰδοιέστατον, ſed metri cauſſa in αἰδοιέστατον mutatum est. Ad Atticam dictionem refertur haec forma a Moeride, v. ἀκρατέστερον. p. 25. ed. Lugd. ad q. l. multa docte attulit Pierſon. cf. Weſſel. ad Herodot. I. 8. Schellenberg. Antimach. Colophon. rell. pag. 106.

vs. 69. οὐ χθόνα ταράσσοντες κ. τ. λ. Uſurpatur haec dictio de hominibus inquietis vel iratis, qui omnia cient et moliuntur: Aristoph. Equit. 429.

ἔξειμι
ὁμοῦ ταράττων τήν τε γῆν καὶ τὴν θάλατταν εἰκῇ.

Pallad. Floril. in Grot. T. I. p. 348. ed. Boſch.

τίπτε μάτην, ἄνθρωπε, πονεῖς καὶ πάντα ταράσσεις;

H. l. intelligendum de agricultura et navigatione, tanquam de opere moleſto et perturbationis pleno. Hinc in beatorum vitâ laudandâ, agriculturae et navigationis vacationem jam antiquiores poëtae

praedicarunt; ut de justis ait Hesiod. Ἔργ. 234.

θάλλουσιν δ' ἀγαθοῖσιν διαμπερές· οὐδ' ἐπὶ νηῶν
νίσσονται· καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Similiter in aureae aetatis descriptionibus; ut Tibull. El. I. 3. 35. — *ἐν χερὸς ἀκμᾷ* poëtice pro *χερσί*. Proprie *ἀκμή* de *ferri acie* aut *cuspide* dicitur, in quibus cum vis hastae aut ensis praecipue insit, hinc metaphorice *χερῶν*, *ποδῶν ἀκμή*, *manum pedumque vim* et *virtutem* significat; postremo ornate pro *manibus* vel *pedibus* usurpatum. E Pindaro multa exempla dedit Boeckh. not. crit. cf. Aeschyl. Eum. 362. Sophocl. Oedip. Tyr. 1034. al. Eadem ratione *χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ* dicitur Pyth. X. 36. — *κεινὰν παρὰ δίαιταν*, *propter victum tenuem*, *ἄπορον*.

vs. 70. *ἀλλὰ παρὰ μὲν τιμίοις θεῶν κ. τ. λ.* Aerumnosae hominum vitae opponitur beatorum tranquillitas et quies. *τίμιοι θεῶν* sunt *φίλοι θεῶν*, nempe *beati*. Vulgari ratione dicitur *τίμιος τινὶ*; sed alteri simile videtur illud Homeri dictum Il. Φ. 470. *πότνια θηρῶν Ἄρτεμις*. — *οἵτινες ἔχαιρον εὐορκίαις*, sunt homines pii et justi: *εὐορκία* enim tanquam virtutum mater laudabatur a Graecis; contra *τὴν ἐπιορκίαν* gravissimis poenis a Diis puniri existimabant: quod intelligi potest ex Hesiod. Ἔργ. 190 - 285. passim. Herod. VI. 86. Hinc Pindarus *ταῖς εὐορκίαις* omnia officia Diis hominibusque praestanda hoc loco complectitur. — Hominem, qui ista colit, Plato appellat *τὸν ὅσιον καὶ δίκαιον*. Gorg. p. 507.

si-

ſive τὸν ὅσιον καὶ εὔορκον. Rep. II. c. 6. p. 363. Caeterum ſuavis et facilis hujusmodi vitae imaginem jam expreſſit Heſiodus l. l. vs. 108. ſqq.

vs. 74. τοὶ δ᾽ ἀπροσόρατον κ. τ. λ. Breviter hoc atque efficaciter dictum. De impiorum poſt mortem poenis et cruciatibus terribilia multa atque varia tradita ſunt cum a poëtis, tum in myſteriis et a philoſophis: de quibus vid. loca ad. vs. 64. laud. add. Wyttenb. ad Plutarchi fr. de Animo, libello de S. N. V. ſubjectum, p. 137. Lucian. Necyomant. cap. XII. ſqq. (T. I. p. 472. ſeqq. Hemſt.) Horum autem poenae, ex vulgari opinione, ſunt aeternae.

vs. 75. ὅσοι δ᾽ ἐτόλμασαν κ. τ. λ. Senſus eſt: Quicumque ter in utraque regione morati, ſive per tres vices a terra ad inferos deducti, et ex inferis in terram revocati, ſcelerum labe puros ſe ſervarunt, ad beatorum inſulas pervehuntur. — De beatorum inſulis operae pretium eſt apponere locum Platonis in Gorg. p. 523. init. ἦν οὖν νόμος ὅδε περὶ ἀνθρώπων ἐπὶ Κρόνου, καὶ ἀεὶ καὶ νῦν ἔτι ἐστὶν ἐν θεοῖς, τῶν ἀνθρώπων τὸν μὲν δικαίως τὸν βίον διελθόντα καὶ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσῃ, εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν. κ. τ. λ. Cum hac autem opinione Pindarus placitum conjunxit de παλιγγενεσίᾳ, ſive animorum in lucem reditu, quod ex Pythagorae disciplina hauſtum eſſe plures doctisſimi viri exiſtimarunt. Quorum ſententiae etſi repugnare nolo, mihi tamen veroſimile videtur, hoc placitum ab Aegyptiis deductum

 (tes-

(teste Herodot. II. 123.), non Pythagorae tantum cognitum, fed latius fuisfe per Graeciam disfeminatum. Quaedam certe inftituta et religiones Pythagorae cum Orphicis et Aegyptiis fuisfe communia, monet id. II. 81. Atque ipfius adeo Pythagorae doctrina magnam partem ex Orphicis manasfe ferebatur, ut a Jamblicho Vit. Pyth. cap. 28. *ὅλως δὲ φασὶ, Πυθαγόραν ζηλωτὴν γένεσθαι τῆς Ὀρφέως ἑρμηνείας τε καὶ διαθέσεως.* et aliis. Apud Platonem quidem Socrates, hanc de immortalitate fententiam explicans, testes ejus hos memorat: *οἱ μὲν λέγοντες*, inquit, *εἰσὶ τῶν ἱερέων τε καὶ ἱερειῶν, ὅσοις μεμέληκε, περὶ ὧν μεταχειρίζονται, λόγον οἵοις τ᾽ εἶναι διδόναι· λέγει δὲ καὶ Πίνδαρος καὶ πολλοὶ τῶν ποιητῶν, ὅσοι θεῖοί εἰσιν. κ. τ. λ.* Menon. p. 81. A. Num igitur hos omnes e Pythagorae fonte illa haufisfe credamus? Utut est, praeclare Pindarus hanc rationem ufurpavit, non ad arcanam doctrinam exponendam, fed ad audientium animos movendos, ac religionis et pietatis fenfu et amore imbuendos. — *ἐτόλμασαν*, i. e. *fustinuerunt, perfeverarunt*; qua fignificatione cum apud alios fcriptores, tum faepe apud Euripidem hoc verbum occurrit. — *ternus περιόδων numerus* (*ἐς τρίς*) fuit folennis; monente Boeckh. Quot annis fingulae *περίοδοι* conftent, a poëta non additum: idque ab aliis aliter est definitum; testante Heynio ad Virg. Aen. VI. 748. Alio modo hoc placitum propofuit in praeclaro fragmento Thr. IV. p. 24. Schn.

εἶτι

οἷσι (ἀφ' ὧν) γὰρ Περσεφόνα ποινὰν
παλαιοῦ πένθεος (πονηρίας) δέξηται,
εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων
ἐνάτῳ ἔτεϊ ἀναδιδοῖ (ἀναπέμπει) ψυχὰν πάλιν·
ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοὶ καὶ σθένει κραιπνοὶ
σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες αὔξονται·
ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες
ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται.

Virgilius quoque l. l. hoc placitum fecutus est.

vs. 77. ἔτειλαν Διὸς — τύρσιν. ἔτειλαν ducitur a verbo τέλλω, quod tamen, praeterquam forma media et in compofitis, non admodum frequens est. Quamobrem difficultate haud fane caret. Τέλλειν et τέλλεσθαι pro στέλλειν, στέλλεσθαι dici, per aphaerefin primae literae, auctor est fchol. Apollonii Rh. III. 277. et hoc ipfo loco quidam libri praebent lect. ἔστειλαν. At nec Apollonii fcholium verum est, cum τέλλεσθαι ἐπί τινι ibi fignificet *excitari in aliquem*, *invadere*, *involare*; quo fenfu occurrit etiam apud Aefch. Sept. c. Th. 753. et lectio ἔστειλαν ex interpretatione vel literarum confufione orta fit. Verbum τέλλειν antiquitus ufu viguisfe, fi verba inde ducta fpectentur, quis dubitet? Interpretantur autem ἔτειλαν, *perfecerunt*; ut conveniat cum forma cognata, τελέω: quae interpretatio quamvis hoc loco non inepta fit, tamen temere videtur arrepta, cum neque in media forma τέλλομαι, neque in compofitis haec *perficiendi* notio infit. Multo magis fignificatione convenit cum verbo στέλλειν, i. e. *inftruere*, *ornare*, tum *inftructum mit-*

te-

tere; et forma media, *mitti*, *vehi*. Nam eadem *mittendi*, *vehendique* notio in compositis verbi τέλλειν inest: ut ἀνατέλλειν, *educo*, *emitto*, vi media, *exsisto*, *exorior*; περιτέλλομαι, *circumvolvor*; ἐπιτέλλειν, *pervenire*; apud Aeschyl. Prometh. vs. 100.

πᾶ ποτε μόχθων
χρὴ τέρματα τῶνδ' ἐπιτεῖλαι;

Qua tandem ratione ad horum laborum finem oportet (me) *pervenire?* etsi vulgo aliter interpretantur. cf. ibid. 183. sq. — ἐπιτέλλειν et ἐντέλλειν est quoque idem quod ἐπιστέλλειν, *mandare*. Ergo etiam τέλλειν significaverit *mittere*, aut potius, media vi, *vehi*: atque ita Sophocl. Electr. 699. ἡλίου τέλλοντος (i. e. ἀνατέλλοντος), *sole sursum vehente* sive *oriente*; pro quo usitatius esset τελλομένου. Similiter h. l. ἔτειλαν accipiendum pro ἐτείλαντο, sive (ut interpretatur Schol.) ἀντὶ τοῦ ἐστείλαντο, ἤγουν ἐπορεύθησαν. Accusativus ὁδὸν pendet a suppresso κατὰ, ut Homerus dicit κίειν ὁδόν. H. in Merc. 212. Vertendum igitur sic est: *vehuntur Jovis viâ ad Saturni regiam.* — Via haec, quae ad beatorum insulas ducit, nautis haud pervia, vocatur Διὸς ὁδὸς, h. e. ὑπὸ Διὸς δεδειγμένη ἢ νομοθετηθεῖσα, interprete schol. Equidem tamen cum Böckhio inde potius appellatam suspicor, quod Jovem, in loca illa devertentem, hac via commeare solitum traderent. Jovis aedes in his regionibus positas memorat Eurip. Hippol. 749. — Porro in insulas ipsas delati, primum veniunt ad Κρόνου τύρσιν, *Croni regiam* (ut Plutonis regia sub terra memoratur ab Hesiodo

Theog.

Theog. vs. 767. auctore Axiochi cap. XIX. aliis), qui cum Rhadamantho assessore (infra vs. 84. sq.) venientes excipit, et judicat, an in beatorum numerum sint recipiendi. De *Crono*, ut de aliis remotissimae antiquitatis numinibus, variae feruntur fabulae. Una, eaque maxime pervulgata, fert Saturnum, a Jove coelo detrusum, sub terra sive in Tartaro delitescere:

Ταρτάρου μελαμβαθὴς
κευθμὼν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
αὐτοῖσι συμμάχοισι. —

Aeschyl. Prom. 219. Aliâ fabulâ Saturnus beatorum insulis rex praeesse fingitur. Utramque refert Hesiod. Theog. 498. sqq. Ἔργ. 169. ubi cf. Graevius, et Gedikius h. l. Cum hac fabula ea quoque cognata videtur, Saturnum quondam in terris regnasse, ibique aureae aetatis fuisse auctorem. Vid. Plato Legg. IV. cap. 6. ubi Ast. Denique posterioris aevi figmentis fucata videtur ea, quam narrat Plutarch. de Vultu Lun. p. 941. quae tradit, Saturnum in felici insula a Jove antro inclusum dormire, quum aves nectar ei ministrent.

vs. 77. ἔνθα μακάρων νᾶσος κ. τ. λ. Harum insularum notio et colores ducta sunt ex antiqua Elysii campi descriptione, quam exhibet Homer. Od. Δ. 563. ubi Aegyptius Proteus haec fertur Menelao praedixisse:

ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσι, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς·
τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·

οὐ

οὐ νιφετὸς οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτ ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
'Ωκεανὸς ἀνίησι, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

cf. omnino Epigr. ἀδεσπ. (Anal. Brunck. T. III. p. 312.) DCCXXXVII. Hoc autem Elyſium non fuit olim a beatorum inſulis diverſum; quo nomine eadem loca deſignavit Heſiodus Ἔργ. 166. ſqq. Eas magno maris intervallo a continente ſeparatas, in orbis terrarum oris, ſolem verſus occidentem ſitas eſſe putabant. Locus ipſe incertus et ſecundum terrarum notitiam varie deſinitus est: de quo tamen hic non quaerimus. Vid. Heyn. Opusc. T. I. p. 395. ſqq. In eodem fere terrarum tractu Hesperidum inſulam ponebant: de qua ſimilia cecinit Eurip. Hippol. vs. 742.

vs. 79. ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ κ. τ. λ. Flores ibi crescentes ſunt *aurei*, ex priſci aevi ingenio: ut Deorum omnia finguntur aurea apud Homerum. Atque Dii ſi quem locum beare vellent, ibi auri copiam effundebant; ut Rhodi factum propter ſacra Minervae inſtituta (Pind. Ol. VII. 49. ſqq.), et in Delo inſula, nato Apolline; ubi cum omnia facta ſunt aurea, tum etiam *aurum protulit oliva:*

χρύσειον δ' ἐκόμησε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης.

Callim. H. in Dol. 262. quo loco Hemſterh. emendavit ἐκόμησε; ſed κομίζειν etiam alibi hoc ſenſu de arboribus dicitur: ut in Anthol. Grotii, pag. 68. Epigr. V. et pag. 360. Epigr. V. Bosch. — Φλέγει. *ſplendent*, vel potius *ardent* (Virgil. Aen. IV. 262.), [illegible]; ut Nem. VI. 39. Homer. Iliad. XXI. 13.

Cae-

Caeterum haec cum fqq. fic puto jungenda: *ἄνθεμα — φλέγει ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων, τὰ μὲν χερσόθεν, ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.* Flores illic crescunt et vigent cum in media terra, tum juxta aquam in littore, non humi, fed in arboribus. Hoc ad fplendorem rei augendum finxit poëta. Vulgo quidem de floribus *terrestribus* et *marinis* haec interpretati funt: atqui mare floribus ornatum quis tandem finxerit?

vs. 82. *ὅρμοισι τῶν χεράς κ. τ. λ. χεράς*, h. e. *brachia*: qua fignificatione faepius ufurpatur. cf. Larcher. ad Herod. II. 121. not. 420. Florea ferta hilaris et jucundae beatorum vitae funt indicia. Ductum hoc a Graecorum more, qui in facris, festis, epulis, rebusque laetis, coronis ornabantur: de quo ufu, ne Pafchalium memorem, monuit fchol. Theocr. Id. II. 21. Hinc etiam Venerem et Horas coronatas ad Deorum chorum euntes fingit Homer. H. in Vener. V. ed. Wolf. Similiter beati a plurimis fcriptoribus, quos fupra attuli, coronati finguntur. Eandem imaginem aliter expresfit Tibull. I. 3. 59.

Hic choreae cantusque vigent —

Valer. Flacco I. 845. memorantur:

thiafique chorique virorum
Carminaque —

Dignitas et gravitas major est in Virgil. Aen. VI. 665.

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

cf.

cf. Pindar. fragm. Thr. I. p. 21. Schn. Similibus autem coloribus etiam antiquiores poëtae haec ornaverant; ut Musaeus et Eumolpus apud Platon. Rep. II. c. 6. p. 363. Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις· ἐς ᾅδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ ξυμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον. — Fictiones poëtarum et fabulas de beatorum insulis ridicule repraesentat Lucian. Ver. Hist. II. T. II. p. 104. sqq. Hemst.

vs. 83. βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδ. κ. τ. λ. In insulis beatorum non prius recipiuntur, quam judicati sint a Rhadamantho, qui Saturno in tribunali assidet, ejusque auspiciis judicium exercet. Hoc nova ratione videtur finxisse Pindarus. Vulgari fabula Rhadamanthus et Minos in inferis sedent, ubi de ante acta mortuorum vita et meritis quaerunt. Quamquam neutri illud munus tribuit Homerus: nam ille, tamquam pius heros occurrit, in Elysio degens, Od. Δ. 564. hic autem lites, quas ipsae inter se animae agitant, dirimere fingitur, Od. Λ. 568—571. Sed post Homerum variis modis haec tractata et ornata sunt. Vid. Heyne Exc. II. ad Aen. VI. Apud Lucian. l. l. c. 6. in beatorum insulis ipse imperitat Rhadamanthus, et ab assessoribus multis adjutus, judicia exercet.

vs. 85. πόσις ὁ πάντων Ῥέας. Saturni conjux Rhea

Rhea, honoris causſa nominatur: ſimiliter Ol. VI. extr. δέσποτα ποντόμεδον — χρυσαλακάτοιο πόσις Ἀμφιτρίτας. et in Tyrtaci fr. p. 121. ed. Klotz.

αὐτὸς γὰρ Κρονίων καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης
Ζεὺς —

Illa, tanquam Deorum mater omniumque bonorum procreatrix (unde μεγάλη μητὴρ, μεγάλη θεὸς dicta), ſupremam tenet ſedem, i. e. prima est inter Deas.

vs. 86. Πηλεύς τε καὶ Κάδμος κ. τ. λ. Haec ex antiquorum poëtarum more, qui heroas praeſertim beatorum inſulis ſolent conſecrare. Propriam hanc iis ſedem tribuit Heſiod. Ἔργ. 167 ſqq. Dignum est, quod cum hoc loco comparetur, nobilisſimum ſcolion, etiam a Boeckhio allatum, apud Athen. XV. 695. A. ubi Harmodium ſic alloquitur poëta:

Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τι που τέθνηκας·
νήσοις δ' ἐν Μακάρων σέ φασιν εἶναι,
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεύς,
Τυδεΐδην τέ φασιν
Διομήδεα.

Peleus autem et *Cadmus* tamquam felicisſimi mortalium laudantur Pyth. III. 87. — ἀλέγονται. συγκαταλέγονται. Schol.

vs. 87. Ἀχιλλέα τ' ἔνεικε—μάτηρ. Eleganter et ad ſenſum ſuaviter Achilli Thetidem tanquam ψυχοπομπὸν tribuit, quae filium in beatorum ſedem deduxerit. Similiter poëtae, ſi quem ἀποθεώσει in coelum tollerent, hoc munus Deo alicui mandatum fingunt: ut Helenam Apollo (Eurip. Orest. 1685.), Bac-

chus matrem Semelen (Diodor. Sic. IV. 25.) ad Deos educunt. Graecos imitati sunt poëtae Latini. cf. Mitsch. ad Horat. Carm. III. 3. 16. Atque hinc expressus est elegans Tibulli locus, El. I. 3. 57. ubi de semetipso vaticinatur:

Sed me, quod tenero facilis sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.

Ab hac fabula de Achille diversa est ea, quae fert, heroëm illum post obitum in Leucen insulam (φαεννὰν νᾶσον apud Pind. Nem. IV. 49.) delatum esse; ubi deinde Iphigeniam a Diana adductam conjugem acceperit: a quo haec insula *Achillea* vocata. Vid. schol. et Dissen ad. Pind. l. l. Haec autem fabula inde videtur orta, quod ibi Achillis tumulus esset, ejusque coleretur memoria.

vs. 145. ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε κ. τ. λ. ἔσφαλε, *labefactavit, prostravit.* — Τροίας ἄμ. ἀστρ. κίονα. Metaphorica dictio, supra ad vs. 7. a me illustrata: quam de Hectore usurpat etiam Lycophron vs. 281. sq. Aceratus gramm. I. (Anal. Brunck. T. II. p. 119.) cf. Aeschyl. Agam. 897. Eadem occurrit Ol. VIII. 25. sqq. ubi de Aegina dicit:

— τεθμὸς δέ τις ἀθανάτων καὶ τάνδ' ἁλιερκέα χώραν
παντοδαποῖσιν ὑπέστασε ξένοις
κίονα δαιμονίαν.

Pindarum imitatus est Eunapius fr. ap. Suidam, qui de Aborgaste, Valentiniani II. duce, ait: τὰ παρ' ἑαυτοῦ βάρος ἐπετίθει, καθάπερ ὀρθὸν καὶ ἀστραβῆ τινὰ κίονα τῆς βασιλείας. ubi Boissonade pro Kusteri lect. κανόνα, bene revocavit κίονα. Alia tamen men-

da

da ibi haeret in verbo *ἐπετίθει*, pro quo corrigendum *ὑπετίθει*, quod et ſententia postulat, et convenit cum Pindarico *ὑπέστασε*. Similiter Thucydides IV. 65. extr. *ἡ παρὰ λόγον τῶν πλειόνων εὐπραγία, αὐτοῖς ὑποτιθεῖσα ἰσχὺν τῆς ἐλπίδος*. Elegans quoque locus, cum his comparandus, est apud Hippocrat. Ep. ad Abder. ſect. VIII. pag. 6. ed. Wechel. *καὶ μακάριοί γε δῆμοι, ὁκόσοι ἴσασι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐρύματα ἑαυτῶν, καὶ οὐ τοὺς πύργους οὐδὲ τὰ τείχεα, ἀλλὰ σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας*. quem citavit Klotz. ad Tyrtaeum, p. 117. cf. Erasmus Adag. *inconcusſa columna*. Caeterum uti *Hectoris*, ita *Cycni* et *Memnonis* caedes inter Achillis res geſtas, clara est. Iidem memorantur Isthm. IV. (V.) 43.

VS. 91. *πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος κ. τ. λ.* Jam poëta mentis impetu elatus, digresſione ſubito abrupta, ſuam praedicat ſapientiam et divinitatem, aliosque poëtas, ſibi aemulos, despicit. Senſus est: Praeter haec, multa in promtu habeo de rebus divinis praedicare, quae ut ab intelligentibus (qualis Theron) facile perſpiciuntur, ita vulgo hominum ea ſunt obscura, niſi ab interpretibus illustrentur. Haec vero ſententia per allegoriam expresſa, multo est ad ſenſum acrior, et ad lyricam vim efficacior. *Carminum ſententiae* ſunt tanquam *βέλη* (*ſagittae*) *in poëtae mente*, tamquam *pharetra*, repoſitae (*ὑπ' ἀγκῶνος* jung. cum *ἔνδον φαρέτρας*: nam pharetra *ſub cubito* a latere pendebat). Hoc tropo cum alii nonnumquam poëtae, tum frequenter Pindarus uti-

 tur,

tur. Ita *hymnus* significatur βέλεσσι ἑκαταβόλων Μοισᾶν ἀπὸ τόξων. Ol. IX. 5–9. alia loca citavit Heyn. ad Ol. I. 179. Ad hunc similemve locum respexit Plato in Theaeteto: ubi Theodorus de Heracliticis aliisque hujus generis philosophis queritur, quod non placide in disputando procedunt: ἀλλ', inquit, ἄν τινά τι ἔρῃ, ὥσπερ ἐκ φαρέτρας ῥηματίσκια αἰνιγματώδη ἀνασπῶντες ἀποτοξεύουσι. pag. 180. A. — Epitheton φωνάεντα non convenit proprie sagittis, sed pertinet ad id, quod intelligitur, ῥήματα, ἔπη. Simili modo vs. 99. dicit εὐκλέας ὀϊστούς, Ol. IX. 12 γλυκὺν ὀϊστόν. In tropis usurpandis hanc libertatem Pindarus, nec minus Aeschylus sibi sumere solent. Denique haec verba: φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς δὲ τὸ πὰν ἑρμ. χ. sacrorum aut mysteriorum speciem imitantur, quae non patebant profanis; quo pertinet formula illa:

φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.

vid. Wyttenb. Bibl. Crit. Part. VI. pag. 91.

vs. 154. σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς κ. τ. λ. Nomine σοφὸς semet ipsum significat Pindarus; contra μαθόντες sunt ipsius aemuli. Hoc igitur dicit: equidem ab ipsa natura ingenii facultate et sapientiâ donatus, longe sublimitate prae iis antecello, qui arte et disciplina informati jactant se et inanes voces crepitant. — Primum notat verum poëtam (τὸν σοφόν): hic est ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ, *qui ingenium a natura accepit:* cui contrarii sunt οἱ μαθόντες, *qui institutione ad poësin formati sunt.* — Naturam doctrinae oppositam etiam in virtute praedicat. Ol. IX. 107. sqq.

τὸ

τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν·
πολλοὶ δὲ διδακταῖς
ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος
ὤρουσαν ἑλέσθαι. .

Nem. III. 38. cit. Heyn. Eurip. Hippol. 79. Simile fertur de sapientia dictum Heracliti: πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Schol. ad Platonis Thaet. pag. 360. fin. ed. stereot. Diog. Laert. IX. 1. cum quo convenit illud incerti in Stob. Floril. Grotii pag. 21.

ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἢν μὴ νοῦς παρῇ.

Jam μαθόντες illi cum contemtu a Pindaro perstringuntur: qui, λάβροι παγγλωσσίᾳ, ἄκραντα γαρύετον (πρὸς τὸν σοφὸν), ὡς κόρακες πρὸς Διὸς ὄρνιχα θεῖον. i. e. *qui jactabundi loquacitate inani, tanquam corvi divinam Jovis alitem, sic sapientem adstrepunt, et frustra cum eo contendere student* — λαβρὸς, λαβραγόρης, λαβρεύεσθαι, caet. non usurpantur solum de homine loquaci, qui multa temere effutit, verum de eo quoque, qui insolentius verbis se jactat: ut λαβροστομεῖν apud Aesch. Prometh. 327. Quod autem nomen plurale jungitur cum verbo duali, λάβροι — γαρύετον, frequens haec ratio est, quando de duobus agitur. (Homer. Il. Δ. 21. 453. E. 778. Od. E. 227.); unde hoc ad Simonidem et Bacchylidem refertur a nonnullis; quod mihi non placet. Duale pro plurali verbo accipere malim: de qua ratione satis constat, reluctante licet Heynio (Exc. ad Iliad. P.), ex locis allatis in Matthiae Gramm. Gr. §. 300. Animadv. Quod ad *corvorum* et *aquilae* attinet comparationem, similis locus est Nem. III. 77. sq.

— ἔςι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς· —
κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Cum aquila propter fublimem celeremque volatum etiam fe comparat Nem. V. 20. fq. et de Arcefila Pyth. V. 111. ait:

γλῶσσάν τε θάρσος τε τανύπτερος
ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς ἔπλετο.

vs. 97. ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον. Senfus est: age, jam eo tendamus, quo carmen hoc fpectat! Victorem laudibus petamus, ejusque patriae Agrigento de tam praeclaro viro gratulemur! Magna autem vi et ingenii fervore haec effert poëta: dictionis eadem est figura quam modo vidimus, vs. 91. πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη κ. τ. λ. Comparandus est Nem. VI. 28. fqq.

— ἔλπομαι
μέγα εἰπὼν σκοποῦ ἄντα τυχεῖν,
ὥτ' ἀπὸ τόξου ἱείς. εὔθυν' ἐπὶ τοῦτον ἐπέων, ὦ Μοῖσ' ἄγ', οὖρον
εὐκλεΐα —

Ol. IX. 12. Nem. IX. extr. — Frequenter et variis modis hoc tropo utuntur Graeci tam poëtae, quam folutae orationis fcriptores: quo pertinent ea, quae expofuit Wyttenb. ad Julian. Bibl. Crit. Part. IX. pag. 69. fqq. Elegans fed paulum perturbatus est locus Platonis Legg. I. 7. pag. 635. A. ubi Athenienfem hospitem, postquam Minois quandam legem bene declarasfet, fic alloquitur Clinias: 'Ορθότατά γε, ὦ ξένε, λέγεις, καὶ καθάπερ μάντις, ἀπὼν τῆς τότε διανοίας τοῦ τιθέντος, αὐτὰ νῦν ἐπιεικῶς μοι δοκεῖς ἐστοχάσθαι καὶ σφόδρα ἀληθῆ λέγειν.

Mu-

Mutata interpunctione ſic legendum videtur: — *καθάπερ μάντις, ἀπὼν, τῆς τότε διανοίας τοῦ τιθέντος αὐτὰ νῦν ἐπιεικῶς μοι δοκεῖς ἐστοχάσθαι κ. τ. λ.* h. e. *videris mihi tanquam vates, licet abſens, nunc acute conjeciſſe, quam tum mentem habuerit ille, qui haec inſtituit. διανοίας* pendet ab *ἐστοχάσθαι*: dicitur enim *στοχάζεσθαι πρός τι* aut *τινὸς*, ſuppreſſa praepoſitione *κατὰ* (Plato Legg. III. 11. extr. IV. 2. pr.). *αὐτὰ* pendet a participio *τιθέντος*. *τότε* — *νῦν* ſibi invicem opponuntur. Similiter Aeſchyl. Agam. 636.

ἔκυρσας, ὥστε τοξότης ἄκρος, σκοποῦ.

ibid. 1195. Caſſandra vaticinans ait:

ἥμαρτον, ἢ θηρῶ τι, τοξότης τις ὥς;
ἢ ψευδόμαντίς εἰμι; —

τίνα βάλλομεν; βάλλομεν pro *βάλλωμεν* accipit Boeckh, quod mihi ſecus videtur. Nam frequenter Graeci in interrrogatione praeſens indicativi ponunt, ubi vulgo futurum tempus vel praeſens ſubjunctivi requiratur. Ita ſaepe Plato: *πῶς λέγομεν, τί οὖν δὴ λέγομεν*, ut de Legg. I. pag. 649. A. II. pr. Similiter Latini: ut Terent. Adelph. V. 7. 18. *Quid ago?* pro *quid agam?* Cicero Legg. I. 21. *Quamnam igitur ſententiam dicimus?* Virg. Aen. IV. 534. *En quid ago!* ubi Donatus legiſſe videtur: *Heu quid agam?* Ad ſenſum nihil intereſt. Suaviter addit *ἐκ μαλθακᾶς φρενός*: tela emittens non acuta et vulnerantia, ſed e molli et benivola mente depromta.

vs. 101. *αὐδάσομαι ἐνόρκιον λόγον κ. τ. λ.* Theronis laudationi quo magis poëta fidem faciat, eam,

 ut

ut verus testis, jurejurando affirmat. Ita etiam Ol. VI. 20.

> καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις τοῦτό γέ οἱ σαφέως
> μαρτυρήσω

cf. Ol. IV. 19. Nem. XI. 24. — μήτινα utrum ad πόλιν, an ad ἄνδρα pertineat, dubites; at illud magis placet, idque suadet verborum structura. — φίλοις jungatur cum πραπίσιν, ut φίλον ἦτορ, φίλη ψυχή, Homer. De forma ἀφθονέστερα supra monui, ad vs. 68. In hac Theronis laude consentit Diodorus Sic. a Boeckhio laudatus, XI. 53. T. I. p. 443. Exc. T. II. p. 558.

vs. 173. ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος κ. τ. λ. Jam laudato Therone, obtrectationem vituperat improborum hominum, qui viri laudes et virtutes obscurare studerent. Obtrectatores certe Theroni, utpote tyranno atque potenti, deesse haud poterant: similiter in Hieronis, Syracusarum tyranni, et Xenocratis, qui Theronis frater erat, virtutibus extollendis, invidiam deprecatur: Isthm. II. 43. Pyth. I. 81 sqq. Schol. putant, tacite his versibus notari duos Theronis cognatos, Capyn et Hippocratem, qui quamvis magnis beneficiis ornati, tamen potentiae illius invidentes, seditionem moverant, et ad Hieronem Syracusanum, Theronis aliquando adversarium, desciverant. At perfidiae eorum fortuna non favit. Verum non eos notat poëta, qui armis Theronem petebant, sed qui calumnia malisque rumoribus de ejus laudibus studebant detrahere. — ἔβα pro ἐπέβα, *invasit:* quod exemplis ex Eurip. Hippol. vs. 841, et 1371. illustravit Herm.

Herm. et notavit jam Hesychius: *βάς· ἐπιβάς. ἔβα ἐπῆλθεν.* — *κόρος* est *laudum alterius fastidium.* cf. Pyth. I. 82. VIII. 33. Nem. X. 20. — *οὐ δίκᾳ συναντόμενος*, *ab aequitate aliena;* ut Isthm. II. 2. *κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμεναι.* Aeschyl. Choeph. 593. *ἔρωτας ἄτᾳ συννόμους.*

Quod sequitur, *μάργων ὑπ' ἀνδρῶν*, jungendum est cum praeced. *κόρος*, ut plurimi fecerunt, etiam Böckh. qui sic vertit: *invidia, ab impotentis cupiditatis hominibus profecta.* At dura mihi videtur haec constructio: usitatae dictioni conveniat, si levissima immutatione legatur: *μάργων ἀπ' ἀνδρῶν.* Eodem modo Thucyd. IV. 108. *Φθόνος ἀπὸ τῶν πρώτων ἀνδρῶν*, i. e. *Principum virorum invidia.* — Simile est, quod ipse Pindarus dicit Ol. IX. 5-9. *βέλεα Μοισᾶν ἀπὸ τόξων*, *tela Musarum arcu emissa.* — *μάργοι* sunt, qui *mente improba furunt.* Vid. Hesych. v. *μάργος.* cf. Ast ad Platon. Legg. VII. 3. Animadv. p. 345.

vs. 176. *τὸ λαλαγῆσαι θέλων κ. τ. λ.* In vulg. lect. vulnus latere ad unum fere omnes senserunt intpp. Quippe offenderunt in dictione *θέλων τὸ λαλαγῆσαι*, quam Herman. Graecam esse negat. Et recte quidem, ut mihi videtur. Aliter censuit Böckh. qui hanc dictionem eo tuetur, quod Graeci etiam dicere solent *θέλειν τι.* At haec similia non sunt: nam *θέλειν τι*, (ut Latine, *velle aliquid*) significat aliquid cupere: sed *amare*, *studere* (quod hic sensus postulat) non significat. Quis, v. c. reipublicae gerundae, aut philosophiae, aut venatio-

nis ſtudioſus, Graece loquens, dixerit: *θέλω τὸ πολιτεύειν, θέλω τὸ φιλοσοφεῖν, θέλω τὸ θηρεύειν*: hoc opinor, probabit nemo. Neque probabilior est eorum ratio, qui verba hoc ordine jungunt: *ἐθέλων θέμεν τὸ λαλαγῆσαι κρύφον τε καλοῖς ἔργοις*. Nescio, an tali modo magis obſcuretur quam illuſtretur oratio. His igitur miſſis, Hermanni conjecturam, quae et ipſi mihi in mentem venerat, recepi: ut accipiatur *τὸ λαλαγῆσαι* pro *διὰ τὸ λαλ.* Atque ita legit, certe interpretatur vetus grammaticus: *θέλων διὰ τὸ θορυβῆσαι ἀφανισμὸν ποιῆσαι τοῖς καλοῖς ἔργοις τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπων.* — *λαλαγεῖν* convenit Latino *ſtridere*, i. e. ſibila et convicia edere. Quo ſenſu Virgilus de Fama dicit:

Nocte volat coeli medio terraeque, per umbram
Stridens —

Aen. IV. 184. Eodem ſenſu de invidia ait Heſiod. *Ἔργ.* 195.

Ζῆλος δ' ἀνθρώποισιν ὀϊζυροῖσιν ἅπασιν
δυςκέλαδος —

κρύφος i. e. *κρύψις*, ab antiqua forma *κρύφω*, unde etiam *κρυφῇ*, *κρυφηδόν*.

vs. 178. *ἐπεὶ ψάμμος κ. τ. λ.* Hi vſſ. vel ſuperiori ſententiae, *τεκεῖν μήτιν' ἑκατόν γ' ἐτέων πόλιν φίλοις ἄνδρα μᾶλλον εὐεργέταν πραπίσιν, ἀφθονέστερόν τε χέρα Θήρωνος* — apti ſunt, et reliqui, *ἀλλ' αἶνον* — *καλοῖς ἔργοις* in medio interjecti, ut ſchol. quoque cenſult; vel pendent a proxime praecedenti *καλοῖς ἔργοις*, ut putat Böckh. — *ἐπεὶ* ſignificat *quippe*, *nam*. Senſus est: Nam tot ſunt Theronis beniſicia, ut

are-

arenae inſtar haud posſint numerari. Sed comparationem more ſuo invertit poëta. Lyricam vim parum ſenſit Schmidius, qui ita vertit: *Quoniam arena numerum refugit, ideo ille quot gaudia aliis fecerit, quis recenſere posſit!* Nec melius Schol. Immo vero haec verba, ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν, non cum ſequentibus una periodo conjuncta, ſed abſolute poſita, atque adeo majoris distinctionis nota ſeparanda ſunt; ut jam fecit Heynius. Hoc lyrico fervore et Pindarica vi dignum: cf. vel Olymp. I. exord. Similis locus est Ol. XIII. 43. ſq. ubi poëta, multis herois ſui victoriis enarratis, ita exclamat:

— δηρίομαι πολέσιν περὶ πλήθει καλῶν· ὡς μὰν σαφὲς
οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν.

ANNOTATIO

IN

OLYMP. VI.



VS. 1. χρυσέας ὑποςάσαντες κ. τ. λ. Splendidum profecto hymni exordium! Illustris viri laudationi illustrem oportet aditum praeponere. Carmen cum templo, ejusque exordium cum templi atrio comparatur. Lyrice vero comparationem Pindarus extulit. Ordo verborum hic est: ὑποςάσαντες κίονας προθύρῳ πάξομεν (pro πάξομεν πρόθυρον κίονας ὑποςάσαντες), ὡς ὅτε θαητὸν μέγαρον sc. παξώμεν: ut recte Heyn. Quod sequitur, ἀρχομένου δ' ἔργου κ. τ. λ. universe dictum; δὲ pro γὰρ accipiendum, ut saepius. Vid. Lexicon Xenophont. T. I. p. 626. — θάλαμος proprie significat *interiorem domus partem*; h. l. pro *domo* ponitur: Hesych. θάλαμος· οἶκος. ubi vid. intpp. μέγαρον autem proprie est *penetrale* templorum sive *adytum*, quod notat Suidas: hinc *aedes magnifica*, *templum*; teste Hesych. ubi vid. not. —

Ad

Ad similitudinem cf. imprimis Cicero Or. 15. et Plut. Solon. c. 32. a Victorio citati. πρόθυρον saepius metaphorice a scriptoribus usurpatur: quod illustrat Sagittar. de Janis cap. I. §. 29. in Thes. Antiq. Gr. Hic autem mihi in mentem venit Ol. XIII. 5. ubi Corinthus dicitur Ἰσθμίου πρόθυρον Ποτειδᾶνος, quod vulgo non bene explicari puto: πρόθυρον ibi dictum videtur pro Neptuni *templo* (τέμενος) ut Pyth. II. pr. *Syracusae* βαθυπολέμου τέμενος Ἄρεος. Eodem sensu Sophocl. Electr. 1375. πρόπυλα dixit. — ἀρχομένου passive accipi potest. Alio loco active ἄρχειν τι usurpavit Pindarus Nem. III. 10. ἄρχε δὲ δόκιμον ὕμνον. ad q. l. cf. Dissen. Media vi accipit Boeckh. sicut dicitur ἀρχομένου θέρευς, χειμῶνος, ap. Thucyd. II. 47. 95. al. cf. Hesiod. Ἔργ. 368. πρόσωπον τηλαυγὲς *Soli* proprie tribuit Homerus, seu quisquis fuit auctor hymni in Solem v. 12. — Maximopere hanc sententiam celebrarunt veteres, quorum multos citavit Boeckh. quibus alii addi possent, ut Plutarch. Polit. praec. p. 804. D. Theocriti schol. Argum. Idyl. I.

vs. 4. εἰ δ' εἴη μὲν Ὀλυμπιονίκας κ. τ. λ. Illustri carmine celebrandum esse Agesiam dicit, cum ob victoriam, tum ob gentis ejus honorem et dignitatem. Mirabile autem, quam magnifice hoc enuntiaverit poëta, vs. 4-9. Ante εἴη suppl. τις; et δὲ idem valet, quod οὖν: εἰ τις οὖν εἴη κ. τ. λ. schol. — porro jung. ταμίας Διὸς βωμῷ μαντείῳ i. e. *sacerdos Jovis praepositus arae fatidicae.* Similiter Δηοῦς ταμίας in Epigr. ἀδεσπ. DCCL. (Anal. Brunck.

Brunck. T. III. p. 315.) *βωμῷ μαντείῳ* pendet item a *ταμίας*. sic *βασιλέα Κυράνας* (i. e. *Κυράνας*). Pyth. IV. 62. *Θήβαισιν εὐίπποις ἄναξ*. Eurip. Phoen. 17. *ἀγυιαῖς ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος*. Callimach. Dian. 38. Itaque pro *βωμῷ μαντείῳ* potuisset eodem sensu dicere: *βωμοῦ μαντείου ταμίας Διός*: qua ratione interdum unum nomen cum duplici genitivo construitur, quorum alter *subjectum*, (ut appellant) alter *objectum* indicat; quod h. l. in dativo positum est. De Jovis ara vid. infra v. 70. Agesias autem vocatur arae Olympiae sacerdos, non quod ipse, Syracusis quippe habitans, hoc munere fungeretur, sed ita vocatur cum ob jus gentis, tum quod Deum ipse sua sponte interrogare posset: nam et vatem eum fuisse patet e vs. 17 sq. Similiter intelligendum *συνοικιστὴρ τᾶν Συρακοσσᾶν*, nempe ob ejus majores, quorum nonnulli coloniae eo deductae interfuisse feruntur. Vid. Boeckh. Unus Schol. explicat *συνῳκηκὼς τὰς Συρακούσας*; cui favet Hesych. *οἰκίζουσιν. οἰκοῦσιν*. Aeschyl. Sept. c. Theb. 19. ubi *οἰκιστῆρας* interpretantur *ἐνοικοῦντας*. cit. Mingerell. Ego tamen hoc nomine non universe incolas, sed eos notari credo, qui opera aut consilio adjuvent civitatem, qui sint rerum, ut ita dicam, statores. Quo sensu etiam apud Aeschyl. l. c. accipiendum videtur: *Patria*, inquit,

ἐθρέψατ᾽ οἰκιστῆρας ἀσπιδηφόρους
πιστοὺς ὅπως γένοισθε ——

Patria vos aluit, ipsius servatores ut essetis bellicosi et fidi. Atque hac ratione eleganter cognomen

men illud συνοικιστῆρ' Συρ. a majoribus ductum in Agefiam esfet translatum: in quo quippe non minimum poneretur civitatis decus et praefidium.

vs. 6. τίνα κεν φύγοι κ. τ. λ. Participium ἐπικύρσαις cum praecedenti verbo φύγοι jungendum est: atque idem valet, ac fi dixisfet poëta: τίνος ὕμνου μὴ ἐπιτύχοι ἄν; five τίνι ὕμνῳ μὴ ἐπικύρσαι ἄν: nam faepius poëtae ita verbo participium fubjungunt, ut interdum paene abundare videatur. Ol. VIII. 20. ἐθελήσω τοῖσιν ξυνὸν ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον. Pyth. II. 69. τὸ Καστόρειον δ' — ἑκὼν ἄθρησον — ἀντόμενος. Nem. VII. 98. εἰ γάρ σφισιν ἐμπεδοσθενέα βίοτον ἁρμόσαις — διαπλέκοις. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 926. ἔχουσι μοῖραν λαχόντες. ibid. 425. ἀπειλεῖ δρᾷν παρεσκευασμένος; quod frustra tentavit Schutz. cf. Perf. 61. fq. — ἀστῶν ἐν ἀοιδαῖς, iis nempe carminibus, quae in epulis, conviviis, commisfationibus cantabant, in quibus clarorum virorum quoque laudes celebrabantur. cf. Pyth. I. 97. Nem. XI. 17. fq. Isthm. III. 3.

vs. 8. ἴστω γὰρ ἐν τούτῳ κ. τ. λ. i. e. ἴστω γὰρ ταῦτα τὰ εἰρημένα αὐτῷ ἁρμόζοντα. Proverbialis locutio: fimili metaphora id quod aptum et congruum esfet, dicebatur εἶναι περὶ πόδα; quod ex Cafaubono ad Theophrasti Charact. IV. apte comparavit Schneider. Eadem dictione quoque nos utimur; fed hoc interest, quod apud nos, haec, et aliae dictiones ad vulgarem ufum rejiciuntur, apud Graecos autem ab elegantisfimo quoque fcriptore ufurpantur, neque a lyrico adeo carmine abhorrent. —

ἰστῶ

ἶσα ἔχων participium pro infinitivo ἔχειν; usitata structura: Matthiae Gramm. Gr. §. 549. 2. p. 788.

vs. 9. ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ κ. τ. λ. Audax sane h. l. est transitus, in quo lyricam vim et impetum agnoscas. Victoris laudem poëta illustrare studens, hoc voluit enunciare: non sine magno labore et periculo Agesiae parta est victoria; at propter hoc ipsum est gloriosa: ut nullum certamen neque terra neque mari, sine periculo gestum, magnam laudem habet; contra vero ardua, quae pulchra. Hujus sententiae priorem partem omisit Pindarus, mentis fervore incitatus. πολλοὶ μέμνανται, i. e. *memorant, praedicant:* ut infra vs. 92. Nem. I. 12. Tyrtaei Carm. III. pr. οὔτ' ἂν μνησαίμην κ. τ. λ. Apollon. Rhod. I. init. — καλόν τι opponitur τῷ ἀκίνδυνον. Notum est proverbium: χαλεπὰ τὰ καλά. Similes sunt praeclari Simonidis vss. (Anal. Brunck. T. I. p. 123.) XIV.

οὐδὲ πάντων βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος,
ᾧ μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν
μόλῃ, ἵκητ' ἐς ἄκρον ἀνδρείας.

vs. 12. Ἀγησία, τὶν δ' αἶνος κ. τ. λ. Comparatio victoris cum antiquo heroë non minus ad illius honorem, quam ad carminis lumen praeclara. cf. Pyth. VIII. 40. sqq. cit. Heyn. Quae mox memorantur, ea ex antiquiore carmine ducta esse, vix potest dubitari. Adrasti et Amphiarai nomen nobile fuit apud poëtas: noti sunt chori tragici in Adrasti honorem a Sicyoniis instituti. Herod. V. 76. Am-

Amphiarai expeditionem in Thebanos, Homero ſcilicet tributam, memorat auctor vitae Homeri cap. IX. Imprimis vero hae res celebratae ſunt in Cyclica Thebaide, carmine perantiquo; de quo vid. Schellenb. Antimachi rell. pag. 22. ſq. unde haec manaſſe cenſet Boeckh. quem vide. — ἐφθέγξατ' ἀπὸ γλώσσης; antique. Vid. annot. ad Ol. II. 6.

vs. 14. ἐπεὶ κατὰ γαῖ' κ. τ. λ. cf. Pindar. Nem. IX. 24. ſq. X. 8. ſq. Sophocl. inter Amphiarai fragm. apud Brunck.

ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις
αὐτοῖς ὅπλοισι καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ.

cf. Barth. ad Statii Theb. v. 818. Univerſam belli narrationem cognoscas ex Diodoro Sic. IV. 64. ſq. Apollod. III. cap. 6. fin. et init. cap. 7. ubi cf. Heynius. Φαιδίμας ἵππους. Candidos equos heroibus et viris principibus tribui ſolitum est: unde ipſi λεύκιπποι dicuntur. Vid. Boeckh. ad Pyth. IV. 17.

vs. 15. ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν κ. τ. λ. Ambigua est h. l. verborum conſecutio. Nonnulli jungunt πυρᾶν—τελεσθέντων, per generis enallagen, pro τελεσθεισῶν, cum intelligantur νεκροί: quam formam licet improbet Boeckh. ſatis tamen probari puto exemplis citt. ab Herman. ad Orph. H. LXXVIII. 4. Fuſius de toto hoc genere diſſerit idem ad Viger. p. 61. not. 50 et 51. cf. Abresch. ad Aeſchyl. Agam. 570. Lenting. ad Eurip. Med. 221. Ast ad Platon. Legg. Animadv. p. 147. Alii jungunt: νεκρῶν ἑπτὰ πυρᾶν τελεσθέντων; idque hoc modo in-

terpretantur: *confumtis corporibus feptem rogorum.* In quo verborum ordo mihi placet, non item interpretatio. Elegantius puto, fi ita accipiatur: νεκρῶν (ὑπὸ) ἑπτὰ πυρᾶν τελεσθέντων, i. e. *cum corpora feptem rogis effent confumta.* Propofitio ὑπὸ faepius fupprimitur a poëtis: Pyth. IV. 244. δράκοντος δ' εἴχετο (ὑπὸ) λαβροτάταν γενύων. Homer. Il. Z 331. ἀλλ' ἄνα, μὴ τάχα ἄστυ πυρὸς δηΐοιο θέρηται. Alia vid. apud L. Bos. Ellipf. Gr. — Verbum τελεῖσθαι fimili fignificatione occurrit apud Aefchyl. Choëph. 867.

οἴμοι, πανοίμοι δεσπότου τελουμένου.

Septem rogi funt feptem cohortium exercitûs. — ἐν Θήβαισι, i. e. in agro Thebano.

vs. 16. ποθέω στρατιᾶς κ. Dictionem στρατιᾶς ὀφθαλμὸν illustravi ad Ol. II. vs. 10. ποθεῖν eximie amiffi capitis defiderium notat. Callin. Ephef. Anal. Brunck. T. I. p. 39.

λαῷ γὰρ σύμπαντι πόθος κρατερόφρονος ἀνδρὸς θνήσκοντος. —

ἀμφότερον abfolute pofitum: cf. Ol. I. 104. Pyth. IV. 79. Isthm. I. 42. Simile illud Homeri, de Agamemnone dictum, quod Schmidius affert:

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Il. Γ. 179. quod dictum ad Julianum transtulit Libanius, Anal. Brunk. T. II. p. 404. Convenit etiam id, quod de Jugurtha dicit Sallust. B. J. cap. VII. *Ac fane, quod difficillimum imprimis est, et praelio ftrenuus erat, et bonus confilio.* cf. Iliad. Z. 79. Amphiaraus autem maximis cum ob virtu

tutem, tum ob fanctitatem laudibus elatus est ab antiquis, imprimis ab Aefchylo, Sept. adv. Theb. 553—599. Cum Pindaro comparetur Sophocl. Oed. Col. 1313. Brunck.

οἷος δορύσσους Ἀμφιάρεως, τὰ πρῶτα μὲν
δορὶ κρατύνων, πρῶτα δ' οἰωνῶν ὁδοῖς.

vs. 18. *τὸ καὶ ἀνδρὶ κ. τ. λ.* — *κώμου δεσπότης* utrum fignificet *dominus pompae*, an *carminis heros*, ambiguum: equidem pofterius praefero. Caeterum haec non ita ftricte interpretanda, quafi Agefias cum vaticinandi arte belli gloriam conjunxerit: fpectat potius ad ipfius *ἀρετὴν* in ludorum victoria reportanda confpicuam: quae cum bellica laude folet comparari. Verba autem fchol. *Φησὶ γὰρ τὸν Ἀγησίαν μεθ' Ἱέρωνος στρατευσάμενον πολλοὺς πολέμους κατωρθωκέναι μαντείᾳ καὶ ἀρετῇ*. haec verba, inquam, ex ipfo hoc loco temerariâ conjecturâ ducta videntur. Nam neque Pindarus tantam Agefiae laudem tam obscure et raptim fignificasfet, et vero tota haec comparatio cum fuperiore fententia vs 9. *ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ κ. τ. λ.* tam arcte cohaeret, ut fi illa ad certaminis victoriam fpectent, haec eodem referri, necesfe fit.

vs. 19. *οὔτε δύσηρις ἐὼν κ. τ. λ.* Senfus est: equidem non invidus et ambitiofus, fed verus et candidus laudator, lubens hoc ei testor. — Hunc animi fui candorem nullo fuco corruptum praeclaris vss. poëta aperit, Nem. VIII. 32—39. ubi calumniam et asfentationem detestatus, Ego, inquit, utinam femper talis fim: *αἰνέων αἰνητὰ, μομ-*

Φὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς. — δύσηρις, δυσήριστον, antique pro δύσερις, δυσέριστος cf. Moeris, et ibi Pierson. Φιλόνεικος h. l. idem quod Φιλότιμος, quae tamquam συνώνυμα conjungit Plato Rep. IX. pag. 581. B. οὔτε — οὔτ' οὖν opponuntur etiam in Sophocl. Oed. Tyr. 89. quem cit. Boeckh. μήτε — μήτ' οὖν in Aeschyl. Agam. 479. inverso ordine infra vs. 52. Nem. XI. 39 sq. Homer. Od. A. 414. — Agesiae laudes, tanquam verus testis jurejurando firmat, similiter ut Ol. II. 101. vidimus. Tempus futurum (μαρτυρήσω) h. l. rem praesenti tempore in poëtae consilio positam notat; quod praesertim in laudando et celebrando solenne est: ut Ol. modo cit. item XI. (X.) 83. Nem. IX. 43. al.

vs. 21. μελίφθογγοι δ' ἐπιτρέψοντι M. i. e. *Musae mihi indulgebunt, gratificabuntur;* sive *Musas mihi faventes et propitias fore confido.* Hoc sensu ἐπιτρέπειν τινὶ saepe absolute ponitur, ut significet *arbitrio alicujus se tradere, indulgere, morigerari.* Plato. Legg. II. 659. C. νῦν τῷ πλήθει τῶν θεατῶν ἐπιτρέπων κ. τ. λ. Sympos. 213. E. Εἶεν δή, ἄνδρες, δοκεῖτε γάρ μοι νήφειν. οὐκ ἐπιτρεπτέον οὖν ὑμῖν, ἀλλὰ ποτέον. Xenoph. Memor. Socr. III. 5. 12. πολλοὶ δέ, ὑπὲρ δικαίων ἀντιλέγοντες, ἐπέτρεπον ἐκείνοις. Similiter accipiendum Sophocl. Antig. 1107. ubi chorus Creonti dicit:

δρᾶ νῦν τάδ' ἐλθών, μηδ' ἐπ' ἄλλοισι τρέπε.

pro ἄλλοισιν ἐπίτρεπε. Minus recte Brunck. reddit: *Tu ipse haec exsequere, nec aliis committe.* Potius vertendum: *Nunc abiens haecce perage, neque aliis*

con-

confiliis indulge, five *obtempera*. Eodem modo Thucyd. V. 99. οὗτοι γὰρ, πλεῖσ' ἂν τῷ ἀλογίςῳ ἐπιτρέψαντες, σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ ἡμᾶς ἐς προὖπτον κίνδυνον καταςήσειαν. i. e. *Hi enim inconfultis affectibus plurimum indulgentes.* —

vs. 22. Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη κ. τ. λ. Poëticus plane, imo lyricus ad majores Agefiae celebrandos tranfitus. Evocat aurigam jubetque, victoribus equis currui junctis, velociter agitare eos ad majores Agefiae, ejusque gentis incunabula. Fictio haec non plane infolita est. Similiter enim poëtae Mufarum currum fibi fingunt, quo per varia veluti loca fublime] et velociter ferantur. Pyth. X. 64.

πέποιθα ξενίᾳ προςανεῖ Θώρακος, ὅσπερ ἐμὰν ποιπνύων χάριν
τόδ' ἔζευξεν ἅρμα Πιερίδων τετράορον

Nunc autem pro Mufarum curru, lufu ingeniofo, ut ait Heynius, Agefiae currum et mulos victores fibi fumfit. Ad poëtarum fimilitudinem Lucianus τῆς Παιδείας ὄχημα informat, quo fublime vectum omnes regiones fe vififse et perlustrasfe fingit. Somn. cap. XV. ubi vid. Hemfterh. T. I. p. 20. — Φίντις, Siculum nomen famuli Agefiae; de quo Boeckh. Particula ἀλλὰ ob tranfitum ponitur, et fimul habet hortandi vim; ut faepe. — κελεύθῳ ἐν καθαρᾷ proprie *in via vacua*, *fub divo* (quo fenfu ἐν καθαρῷ ponitur); hinc *in via illustri* (φαεινᾷ), quam praebet Agefiae gloria. Similiter infra 73. ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται. — Porro in his verbis, βάσομεν — ἵκωμαι, notes tam numeri, quam modi diverfitatem; ἵκω-

 μαι

μαι ad solum poëtam, βάσομεν etiam ad Phintin pertinet; ut monet Boeckh. Simile mihi in mentem venit Ovidii dictum, Trist. I. 3. 71. *Dum loquor et flemus.* Quamquam equidem praeferrem, si legeretur βάσομαι, i. e. *currum adscendam*; sic βήσατο δίφρον. Hom. Il. Γ. 262. Futurum autem indicativi pro subjunctivo nonnumquam ponitur: cujus rationis exempla collegit Matthiae Gramm. Gr. §. 520. not. 5. Dorville ad Charit p. 544. — Post ὄφρα, *ut*, futurum sequitur etiam apud Homer. Il. Δ. 308. ὄφρα ἱερεύσομεν. Θ. 110. ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται. — Uti autem in hoc vs. sic etiam alibi variantur verborum modi: v. c. in Eurip. Phoen. 93. ubi Paedagogus Antigonae prodire cupienti, *Metuo*, inquit,

μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται,
κἀμοί μὲν ἔλθοι φαῦλος, ὡς δούλῳ, ψόγος.

ad q. l. plures testes citat Valckenaerius: qui tamen ib. frustra μὴ in εἰ mutare voluit, ut dudum VV. DD. monuerunt.

vs. 26. στεφάνους — δέξαντο. Schol. hoc accipit de floribus, quibus ornabantur mulae: ἐπειδὴ καὶ αὗται αἱ ἡμίονοι τοῖς στεφάνοις ἐβάλλοντο καὶ τοῖς ἄνθεσιν. Equidem commodius puto, palmam intelligere, mulis reportatam; similiter Pyth. III. 73. ubi dicit:

— κῶμον τ' ἀέθλων Πυθίων, αἴγλαν στεφάνοις,
τοὺς ἀριστεύων Φερένικος (ἵππος) ἕλ' ἐν Κίρρᾳ ποτέ.

cf. Ol. II. 55.

vs. 27. πύλας ὕμνων κ. τ. λ. Similitudo a templo

plo ducta, de qua vidimus initio hujus carminis. Pindaro praeivit Bacchylides fr. (Anal. Br. T. I. p. 152.) XVII.

ἕτερος δ' ἐξ ἑτέρου σοφὸς
τό τε πάλαι τό τε νῦν· οὐδὲ γὰρ ῥᾷστον
ἀῤῥήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν.

Eandem venustatem postea philofophi in fuum ufum converterunt. Vid. Boifonnad. ad Eunap. pag. 5. Annot. pag. 147. — *Pitana* parvum Laconiae oppidum, eademque heroina; qualis fictio frequens est poëtis. — ἐν ὥρᾳ i. e. ἐν δέοντι καιρῷ; ut Pyth. IV. 43. Herod. I. 31.

vs. 29. ἃ τοι Ποσειδάωνι κ. τ. λ. Hinc jam divinam Iamidarum ftirpem exponit poëta. Pitana, Eurotae filia, e Neptuno fuscepit Euadnen: ex hac autem et Apolline ortus est Iamus, gentis auctor. Fabulam e Pindaro memorat Paufan. VI. p. 455. — Euadne dicitur ἰοβόστρυχος, ob capillorum pulcritudinem; fimiliter ut ἰοπλόκαμος, ἰοστέφανος Mufarum et Veneris funt epitheta. Ductum a violarum nitore et colore purpureo. Vid. infra vs. 55. Similiter Homer. H. in Cerer. I. vs. 177. Wolf.

ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀΐσσοντο, κροκηΐῳ ἄνθει ἐμικλαι.

Intelligi posfunt capilli *fusci*, ξανθαί, qui color maxime placuit Graecis. cf. Homer. ibid. 280. Sic ξανθὴ Ἀθήνη, Χάριτες ξανθαί, ξανθοκομοὶ Δαναοί (Nem. IX. 17.); unde postea quoque factitio hoc colore ufi funt, ad comas tingendas. Vid. Hefych. v. θάψινον et ξανθίζεσθαι, et ibi intpp. Idem tamen

ἰοπλόκαμος interpretatur μελανόθριξ, quod probavit Boeckhius: atque ſic Anacreon Od. XXVIII, *nigras* ſuae puellae comas tribuens, easdem appellat *purpureas;* quin et ἴον μέλαν dicitur Theocrito Id. X. 28. Meleagro I. (Anal. Brunck. T. I. p. 2.) Itaque mihi neutra interpretatio displicet; neque vero tam ſtricte omnia in poëta ſunt definienda: hoc teneamus, epitheton illud pulcritudinis et venustatis cauſſa foeminis tribui.

VS. 31. κρύψε δὲ — κόλποις. Vox ὠδὶν proprie *dolores* ſignificat; hic autem *foetum*, propter quem ſc. dolores perferuntur. Vertendum igitur: *Occuluit ſinu foetum virgineum.* Eadem ſignificatione ὠδὶν occurrit in Philippi Epigr. I. Anthol. Grot. T. I. p. 96. Boſch. aliisque locis. Apollod. II. 7. §. 4. Ἀλεὸς εἰσελθὼν — τὰς τῆς θυγατρὸς ὠδῖνας εὗρε. quod e poëta expresſum esſe, merito Heynius ſuspicatur. Plura exempla affert Boeckh. Simili ratione is, quem vehementer aliquis amat, πόθος (*deſiderium*) appellatur; quo ſenſu accipiendum videtur in Bionis Epitaph. Adonid. v. 58. ubi Venus ſic ad Adonidem:

θνάσκεις ὦ τριπόθατε· πόθος δέ μοι ὡς ὄναρ ἔπτη.

ubi pro πόθος δ' — Valcken. et Brunck. emendarunt, nescio quam recte, πόθος δ' ἐμοὶ ὡς ὄναρ ἔπτη. De voce παρθένιος vid. ſchol. et intp. Heſychii, in V.

VS. 32. χυρίῳ δ' ἐν μηνὶ. Pitane quum peperisſet, infantem educandum miſit ad Aepytum, Elati f. Arcadiae regem. Hujus nomen antiquisſimo aevo in Arcadum traditionibus celebre fuit. Vid. Pauſan. VIII. 4. p. 605. Ejus tanquam noti meminit

Ho-

Homer. Il. B 604. *Phaesanae* meminit etiam Istrus historicus apud schol. qui hanc urbem Elidi tribuit. Sed Elidis et Arcadiae fines saepe antiquitus perturbati fuerunt. *Alpheus* autem flumen per Arcadiam labitur. Cf. Boeckh. h. l. — Participium πέμποισα cum verbo ἐκέλευσεν jungendum, ut ambo ad idem nomen referantur. cf. supra ad vs. 6. — δόμεν πορσαίνειν, λάχεν οἰκεῖν; usitata Graecis structura. vs. 35. Adultam puellam compressit Apollo. Eleganter hoc expressit poëta.

vs. 36. οὐδ' ἔλαθε — κλέπτοισα. h. e. κρύπτουσα. ut Pyth. IV. 96. κλέπτων θυμῷ δεῖμα. vs. 37. χόλον πιέσαις i. e. κατασχών. additur ὀξείᾳ μελέτᾳ propter irae magnitudinem. Similiter Virgil. Aen. IV. 332. de Aenea dicit: *Obnixus curam sub corde premebat.*

vs. 39. ἁ δὲ Φοινικόκροκον ζώναν κ. τ. λ. Totus hic locus de Iami partu usque ad vs. 56. mirâ elegantiâ, ornatu, et descriptionis, vel potius picturae venustate est insignis. — ζώναν Φοινικόκροκον (a κρόκῃ, *purpureo subtegmine*), regiae virgini tribuit ex prisco more. Sic Jason infans σπαργάνοις ἐν πορφυρέοις est involutus Pyth. IV. 114. idemque adultus gestat κρόκεον εἷμα. ibid. 232. similiter κρόκου βαφὰς Iphigeniae tribuit Aeschylus Agam. 144. de quo colore multa refert Spanhem. ad Callimach. Apoll. 83. Ceterum vid. etiam Homer. Il. Z 219. K. 133. al. ζώνην κατατίθεσθαι vel proprie λύσαι solennis est dictio, non modo de puellis nunc primum in thalamum ingressis, sed etiam de

 par-

parturientibus: plura de hoc ritu cognosci posſunt e Meurſio ad Callimach. Jov. 21. et imprimis ex Spanhemio ibid. et Del. 209. — κάλπιδα, vas aquae hauriendae, prisca aetate puellae gestabant. Sic in Homer. H. in Cerer. I. 105 ſqq. Wolf. memorantur Celei regis filiae,

ἐρχόμεναι μεθ' ὕδωρ εὐήρυτον, ὄφρα φέροιεν
κάλπισι χαλκείησι φίλα πρὸς δώματα πατρός.

Od. H. 20. occurrit Minerva,

παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι, κάλπιν ἐχούσῃ.

Hinc etiam in puellarum ante nuptias defunctarum monumentis ſtatuebatur λουτροφόρος κόρη, teste Polluce VIII. §. 66. Eustath. ad Il. Ψ. p. 1293. reg. 7. cujus tamen ſymbolicam hujus conſuetudinis interpretationem non probo. — θεόφρονα κοῦρον, i. e. ſimpl. θεῖον. Vox obvia quoque in Thebaidis fr. apud Athenaeum XI. p. 465. (de quo vid. Schellenberg, Antimachi Coloph. rell. p. 78.) ubi legitur Κάδμοιο θεόφρονος; cui loco congruit Heſych. θεόφρονος· θείου.

vs. 41. τῷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας. κ. τ. λ. Felicis partus indicium et futurae ſortis faustum infanti omen. ὁ Χρυσοκόμας est Apollo, Iami pater; eodem nomine appellatur Ol. VII. 32. Eurip. Troad. 253. Scol. XI. (Anal. Brunck. T. I. p. 157.) Mnaſalc. III. (ibid. p. 190.) χρυσοκόμης Διόνυσος occurrit in Heſiod. Theog. 947. Ἔρως χρυσοκόμης et χρυσοχαίτας dicitur Anacr. Od. VI. et fragm. XXX. — Ἐλευθώ ſive Εἰλείθυια Dea obſtetrix, ἡ λύουσα πόνους δεινοῖς ἐν ἀνάγκαις. Orph. hymn. II. Μοῖραι rerum

rum humanarum futuraeque hominum fortis arbitrae et moderatrices: quae Deae ubi adſunt, res felicibus auspiciis geruntur; contra a malis rebus et infaustis ſeſe avertunt. Vid. Ol. XI. (X.) 54. Pyth. IV. 145. — *Ilithuia* et *Parcae* tanquam Deae *παρέδροι* hic conjunguntur, et in partu ſaepius adſtare finguntur: unde Plato Symp. 206. D. *Μοῖρα οὖν καὶ Εἰλείθυια ἡ καλλονή ἐστι τῇ γενέσει.* cf. Nem. VII. init. et quos ibi citat Disſen. imprimis Spanhem. ad Callimach. Dian. v. 22. add. Eurip. Bacch. 99.

vs. 43. *ἤλθεν δ' ὑπὸ σπλάγχνων κ. τ. λ.* Haeret h. l. Heynius, praeſertim in verbis *ὑπ' ὠδῖνός τ' ἐρατᾶς*; quandoquidem vox *ὠδὶν* varia ſignificatione accipi potest. Nam praeter ea, quae modo (vs. 31.) notavimus, etiam dicitur pro *partu;* ut Pyth. IX. 88. notat item *laborantem uterum.* Nem. I. 35. qui locus huic ſimilis est:

— *σπλάγχνων ὕπο ματέρος αὐτίκα θαητὰν ἐς αἴγλαν*
ὠδῖνα φεύγων διδύμῳ σὺν κασιγνήτῳ μόλεν. [*παῖς Διός*

Haec vero ſignificatio quo minus h. l. conveniat, prohibet epith. *ἐρατᾶς*. Quis enim hoc intelligat, *uter amabilis?* Magis placeat prior ſignificatio, ſi vertas: *partu jucundo;* quod probat Boeckh. At ita offendit praepoſitio *ὑπὸ* duplici ſenſu poſita, primum pro *ἐξ*, deinde pro *διά*. Superest vero una interpretatio, quae haud ſcio an ſit verisſima: ut verba *ὑπὸ σπλάγχνων ὑπ' ὠδῖνός τε* explicentur figurâ *ἓν διὰ δυοῖν*, pro *ὑπὸ σπλάγχνων ὠδινούντων*, hoc ſenſu: *Puer venit ſponte in lucem e visceribus*

(up.

(np. utero) *amabili dolore laborantibus.* Ὠδὶν suaviter appellatur ἐρατή, propter maternam caritatem et amoris voluptatem, qua leniuntur dolores. Hinc Eurip. Iphig. Aul. 922.

δεινὸν τὸ τίκτειν, καὶ φέρει φίλτρον μέγα.

Et eleganter diversae hae verborum notiones, ὠδὶν et ἐρατή, conjunguntur; ut in Aeschyli Agam. 550. amor patriae vocatur τερπνὴ νόσος. et Eurip. Electr. 987. Orestes de matris suae caede dicit:

πικρὸν δὲ χ' ἡδὺ τἀγώνισμά μοι.

Similiter amorem γλυκύπικρον dixit Sappho fr. quod imitatus est Posidipp. XI. (Anal. Brunck. T. II. p. 48.) et is, qui amore tenetur, *beatus vulnere* dicitur. Horat. Od. I. 27. 11. — αὐτίκα *statim, sine mora*, scilicet facili partu: ut Nem. I. modo cit. — κνίζεσθαι sign. *dolore affici* praecipue amoris: itaque hic de materna prolis caritate et anxietate accipiendum; quo fere sensu Pyth. XI. 22. de Clytaemnestra dicit: Ἰφιγένεια σφαχθεῖσα νιν ἔκνισεν ὄρσαι χόλον. *Iphigeniae caedes illam propter maternum affectum incitavit ad vindicandum.* Saepe etiam obscoenum habet sensum: Strato XLVII. (Anal. Brunck, T. II. p. 370.) παῖς τις — με κνίζει. Schol. Aristoph. Plut. 975. κνισμός ἐστι κυρίως ἡ πρὸς τὴν μῖξιν βακχεία καὶ πύρωσις. κ. τ. λ.

vs. 45. δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν κ. τ. λ. Mirabile prodigium, quod divinam arguit pueri originem. Infantem divinitus missi serpentes melle alunt et tenera cura (καδόμενοι) educant. Saepe in antiquis mythis occurrunt dracones, quos tanquam mon-

stra,

ſtra, horrenda quidem illa, at divino tamen genere orta aut divinitus miſſa, priſci homines mirabantur. Unde etiam divinandi facultas iis tributa. Similis in mentem venit fabula de vate Melampode, cui aliquando dormienti ſerpentes utrimque terſiſſe aurem feruntur, a quibus divinandi artem acceperit. Apollod. I. 9. §. 11. ubi cf. Heynius. — ἀμεμφεῖ ἰῷ μελισσᾶν, acuta circumlocutione, pro *melle* poſitum; ἰὸς proprie de *ſerpentum veneno* dicitur. cf. Boeckh. Melle autem ad infantes nutriendos praecipue uſi ſunt antiqui; unde hoc fluxit. Sic Bacchum quoque et Jovem infantes melle nutritos eſſe tradiderunt. Vid. Spanhem. ad Callim. Jov. 49. — Ad mentis divinitatem mellis uſum ſpectare cenſet Boeckh. cui non repugno. Ad eloquentiae omen poſteriores hanc fictionem uſurparunt, ut intelligitur ex iis, quae de ipſo Pindaro, item de Platone feruntur, quos infantes ab apibus nutritos tradiderunt.

vs. 47. *βασιλεὺς δ' ἐπεὶ κ. τ. λ.* Attende in lyrico epicam prorſus narrandi ſimplicitatem! — Πυθῶνος πετραέσσας. epitheton jam Homero uſurpatum Il. B. 519. cf. Stabo IX. γεγάκειν, i. e. γέγαμεν, a γεγάκω, quod formatum est a perfecto γέγακα: ſimiliter ut ἑστήκω, τεθνήκω, alia. Vid. Boeckh. et Matth. Gramm. Gr. §. 219. 1. Thierſch. Gramm. Dial. Homer. §. 217. 55. repetit a γέγακα, tanquam ſit antiquâ et minus uſitatâ formâ pro γεγακέναι. — πέρι θνατῶν δ' ἔσεσθαι — ἐπιχθονίοις ἔξοχον; poſterius hoc abundat, non tamen ſine vi; ante

ἐπι-

ἐπιχθονίοις ſuppreſſa est praepoſitio ἐν; ut apud Homer. Il. Z. 477. ἀριπρεπέα Τρώεσσιν Eurip. Phoen. 88.

> Ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος πατρί.

pro ἐν οἴκοις cf. L. Boſ. Ellips Gr. in praepoſ. ἐν. Wopkenſ. Lect. Tullian. p. 170 ſq. — οὐδέ ποτ' ἐκλείψειν γενεάν; hoc in primis votorum habitum. Simile est Veneris promiſſum Anchiſae, apud Homer. H. in Vener. 197.

> σοὶ δ' ἔσται φίλος υἱός, ὃς ἐν Τρώεσσιν ἀνάξει·
> καὶ παῖδες παίδεσσι διαμπερὲς ἐκγεγάονται.

vs. 52. τοὶ δ' οὔτ' ὤν ἀκοῦσαι κ. τ. λ. Famuli rei plane ignari, ſe quidquam de puero comperiſſe negant; *quamquam jam ante dies quinque natus erat.* Postremum hoc poëtae verbis additum eſſe, ſponte intelligitur. οὔτ' ὤν — οὔτε attigimus ſupra ad vs. 19.

vs. 53. ἀλλ' ἐν κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ κ. τ. λ. Praepoſitio ἐν jung. cum σχοίνῳ; hyperbaton hoc in Pindaro, nemo, opinor, graviter feret: quo etiam uſus est Horat. Carm. III. 17. 51. *Utinam inter errem nuda leones.* Simili ratione aliis quoque locis praepoſitio a ſequenti voce diſcernenda videtur: ut Ol. VII. 61. Boeckh. recte, opinor, emendavit:

> μνασθέντι δὲ Ζεὺς ἄμ πάλον μέλλεν θέμεν.

h. e. ἔμελλεν ἀναθεῖναι τὸν πάλον. Vulgo legitur ἄμπαλον. et Isthm. I. 41. legendum cenſeo:

> εἰ δ' ἀρετᾷ κατὰ κεῖται πᾶσαν ὀργάν.

h. e. εἴτις κατὰ πᾶσαν ὀργὰν ἔγκειται ἀρετᾷ. Vulgata lectio est κατάκειται; ſed ut recte dicitur ἔγκεισθαι

vel

vel ἐπίκεισθαι ἀρετᾷ, *in virtutem incumbere*, et pro hoc a poëta ſimplex κεῖσθαι, ita κατάκεισθαι ἀρετᾷ, recte dictum esſe vix credo. — Idem vitium latere puto Ol. I. 8. in verbo ἀμφιβάλλεται, in quo omnes haerent intpp. Vide num ita leviter refingendum ſit:

ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφὶ τέλλεται
σοφῶν μετίεσσι.

unde (ſcil. *ab Olympia*) *celebratisſimus hymnus exſistit poëtarum ingeniis.* ἀμφὶ jungendum cum μητίεσσι, ut ſaepe hoc ſenſu: Pyth. I. 12. VIII. 35. — τέλλεται· ἀνίεται. Heſych.; Ol. X. (XI.) 6. μελιγάρυες ὕμνοι τέλλεται. Eodem fere modo dixit Nem. I. pr. σέθεν ἁδυεπὴς ὕμνος ὁρμᾶται. Haec in transitu dicta. — Infans igitur latebat in junco et rubeto aspero, ἀπειράτῳ, h. e. ἣν οὐκ ἔςι διαπερᾶσαι. ſic *invia lustra* dicit Virgil. Aen. IV. 151. — ἴων ἀκτῖσι. ornate pro *violis micantibus*; quod ſchema poëtis non inuſitatum. ἀκτὶν ductum ab ἄκω (unde *acuo*) proprie *teli* notionem habet, ut cognata vocabula, ἄκων, ἀκή, ἀκμή; hinc de ſolis *radiis* uſurpatum: ſimiliter κῆλα ἠελίου occurrunt apud poëtas (Scherpenzeel. ad Homer. Il. A. 53.); quos imitatus Lucretius *lucida tela diei* dicit. III. 92. al. Hoc loco ornate de violis dictum, purpureo colore fulgentibus. Hi autem flores propter nitorem et odorem maxime erant dilecti, et in calathis et corollis imprimis legebantur. Vid. Theocr. Id. I. 29. ſq. et elegans Epigr. ἀδεσπ. CCCXXX. (Anal. Brunck. T. III. p. 221.) — βεβρεγμένος, *irrigatus*,

tus, h. e. *suaviter offusus*, *tectus*. Similiter Lucretius: *somnus per membra quietem irrigat.* apud Macrob. Saturn. VI. 1. Suavissima est omnino haec descriptio, quam aemulatur Virgil. Aen. I. 691. sqq.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbrâ.

ubi cf. Heynius. Locus uterque nativâ rerum descriptione perquam venustus et summis poëtis dignus.

vs. 56. *τὸ καὶ κατεφάμιξεν κ. τ. λ.* Ergo *ἀπὸ τῶν ἴων* ductum est nomen Ἴαμος: argute, nec tamen invenuste. Praciverant hanc rationem jam antiquiores, qui non raro a re aliqua aut facto nomina fingebant, vel interpretari conabantur. Sic apud Hesiodum Πανδώρα, Προμηθεύς, Ἐπιμηθεύς nomen a re consecuti sunt. Apud Homerum *Ulysses* (Ὀδυσεύς) *ἀπὸ τοῦ ὀδυσσάσθαι* nominatus esse fingitur Il. T. 407—409. cit. Boeckh. Non minus argute Dei *Panis* etymon idem explicat H. in Pan. 47.

Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψεν.

vid. etiam H. in Apoll. 371. sqq. Qui postea secuti sunt poëtae, item rhetores, id quoque studiose egerunt, ut Deorum, heroum, aliaque nomina, quaesita opportunitate, interpretarentur. Sic in *Epaphi* nomine argutatur Aeschyl. Prom. 850.

ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς θιγημάτων
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον. —

et

et ex *Ielenae* nomine ejus fatorum omen captat Agam. 689—696. Sophocl. Ai. 430—433. Eurip. Troad. 989. ſq. fragm. Antimachi apud Steph. Byz. V. Τευμησσός; quod illustrat Schellenb. Antimach. Coloph. rell. p. 53. ſq. cf. Aristot. Rhet. II. 23. extr.

VS. 57. τερπνᾶς δ' ἐπεὶ κ. τ. λ. Senſus est: Postquam puer pubes factus esſet. Ornate hoc extulit poëta. καρπὸς ἥβης ſignificat *pubertatem* (τὴν ὥραν), ut καρπὸς φρενὸς pro *prudentia* dicitur, Pyth. II. 74. ubi vid. Boeckh. cf. Mimnerm. II. (Anal. Brunck. T. I. p. 60.) ἥβη χρυσοστέφανος, *pulcram habens coronam*, i. e. formoſa: epitheton translatum a dea Juventa, quae habetur καλλίστα θεῶν. Nem. X. 18. Conferatur Pyth. IX. 113.

— χρυσοστεφάνου δέ οἱ ἥβας
καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι
ἔθελον·

VS. 58. Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβάς. Vulgo hoc ita interpretantur, quaſi *in medium Alpheum ingresſus ſit* Iamus; et comparant Ol. I. 71. ubi Pelops Neptunum precaturus ad littus prope mare accedit. Sed haec non ſunt ſimilia. Pelops enim prope mare accedit, tanquam ad Neptuni ſedem, quo magis a Deo exaudiatur: qui mos notus est ex Homeri Il. A. 350. Alpheus autem neque Neptuno neque Apollini, quos invocat Iamus, ſed Jovi ſacer erat; et quamvis his Diis fuisſet ſacer, cur tamen in medium amnem ingresſus esſet? Potius, opinor,

 ad

ad ripam adſtans Deos invocasſet: ut Aristaeus apud Virgil. Georg. IV. 319. Quamobrem mihi haec ita videntur intelligenda: Iamus postquam adultus erat, et in lucem prodire poterat, domum reliquit, ut honestum aliquem ſibi quaereret vitae ſtatum. Itaque procedens ſecundum Alphei ripas (qui ex Arcadia in Elidem ad mare fluit), *cum medium prope Alpheum pervenisſet*, conſtitit, Deorum opem implorans. καταβαίνειν dicitur, ſi quis ex ſuperiore loco in inferiorem mare verſus proficiscitur. Herod. V. 106. extr. Xenoph. Cyrop. I. cap. I. §. 4. extr. Ἀλφεῷ μέσσῳ, h. e. ἐπ' Ἀλφεῷ. — Eodem modo intellexisſe videtur vet. ſchol. qui locum ita interpretatur: ἐπειδὴ δὲ ἐν ἀκμῇ ἡλικίας ἐγένετο, — τότε δὴ παραγενόμενος εἰς τὴν Ἐπίδαυρον ηὔξατο. ἐν μέσῳ γὰρ Ἤλιδος καὶ Ἀρκαδίας ἡ Ἐπίδαυρος, ὧν ἡ μὲν Ἀρκαδία τὴν ἀρχὴν, ἡ δὲ Ἦλις τὰ πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς οἰκεῖται τοῦ ποταμοῦ. Vides ſcholiasten intelligere locum medium inter Arcadiam et Elidem, h. e. circa medium Alpheum; quem locum ait Epidaurum fuisſe. In quo tamen postremo mire erravit. Duae enim hoc nomine in Peloponneſo civitates fuerunt: Epidaurus Argolica, Aesculapii religione nobilis; altera Laconica, Limera cognominata: quarum neutra huic loco congruit.

vs. 59. Δάλου θεοδμάτας σκοπόν. — Inſulam Delum, ut natale ſolum, unice ab Apolline dilectam fuisſe, et vulgo notum est, et doctisſime demonſtravit Spanhem. ad Callim. Del. 24. Hinc dicitur Δάλου σκοπός, i. e. φύλαξ, ἔφορος. ut Ὀλύμπου σκο-

σκοποὶ dicuntur Dii. Ol. I. 54. σκοποὶ λαῶν Hom. Il. Σ. 523. Similiter Diana θηροσκόπος. (id. H. in Dian. 11.) i. e. δέσποινα θηρῶν, ut appellat Anacreon. cf. Aeschyl. Suppl. 384. quem citat Heyn. ad Pyth. III. 46. — θεοδμάτας pro θεοδμάτου, (de quo vid. Matth. Gramm. Gr. §. 116. Animadv.) proprie *a Diis conditae*, hinc *divinae*, *praeclarae*. vs. 60. τιμὰ λαοτρόφος est *munus* seu *dignitas publica*, ad populi salutem et commodum spectans. ἐᾷ κεφαλᾷ, pro simpl. σῇ; antiqua dictio, qua Homerus etiam usus est, ut Od. Λ. 557. alibi. — νυκτὸς ὑπαίθριος, i. e. *sub coelo nocturno*, sive noctu sub dio: quippe tenebrae et solitudo nocturna ad commercium cum Diis maxime sunt idonea. Similitur Neptunum invocat Pelops, οἶος ἐν ὄρφνᾳ Ol. I. 71.

vs. 61. ἀντεφθέγξατο δ' ἀρτιεπής κ. τ. λ. Vox ἀρτιεπής composita ex ἔπω, et ἄρτιον, h. e. *commodum*, *suis numeris expletum*, *perfectum*. Hesychius: ὁλόκληρον, ἀνελλιπές. Hinc ἀρτίφρων, *mente sanus*; ἀρτίπους, *valens pedibus*: similiter ἀρτιεπής, *lingua* seu *dicendo valens*. Quum autem in dicendo vel veritas et perspicuitas, vel facundia spectatur, hinc etiam ἀρτιεπὴς duplicem illam habet significationem. Sic Musae ἀρτιέπειαι sunt *facundae*, *eloquentes*; unde vox in deteriorem partem traducta etiam *garrulum* et *versutum* notat. Vid. Hesych. in V. et intp. quem etiam attulit Boeckh. Hoc loco, quum Apollo ἀρτιεπής dicitur, idem valet, quod ἀληθὴς καὶ ἀψευδής, ut explicat schol. quo nomine hic Deus ce-

celebrari folet ab antiquis: ut ab Aeschylo in scholiis citato, Prometh. 1032.

ψευδηγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμα
τὸ δεῖον.

Sept. adv. Theb. 604.

Φιλεῖ δὲ σιγᾷν, ἢ λέγειν τὰ καίρια.

cf. Choëph. 554. Eum. 605. Pind. Pyth. III. 29. IX. 43. ubi Boeckh. — Quod sequitur verbum μετάλλασεν magnam tam antiquis quam recentioribus interpretibus attulit difficultatem, et vereor, ut ab ullo fatis dilucide fit explicitum. μεταλλᾷν significat *studiose investigare, percontari*; ut apud Homer. Il. A. 550. 553.

καὶ λίην σε πάρος γ' οὔτ' εἴρομαι, οὔτε μεταλλῶ.

cf. Hemsterh. in Lennepii Etymol. V. μέταλλον. Est igitur fere idem, quod ἐπέρεσθαι, five ἐπερωτᾷν; quae fignificatio h. l. maxime congruit. Nam fequens imperativus habet rogandi et percontandi vim, velut fi dixisfet: Visne furgere, mi fili, et illuc pergere, quo te ducam? Simile exemplum afferam ex Herod. I. 11. ubi hic de Gyge refert: ἐπειρώτα δὴ (τὴν Κανδαύλεω γυναῖκα) λέγων τάδε· ἐπεί με ἀ αγκάζεις — Φέρε ἀκούσω τέῳ καὶ τρόπῳ ἐπιχειρήσομεν αὐτῷ. hic fimiliter post v. ἐπειρωτᾷν imperativus fequitur. Igitur fi pro μετάλλασε ponas apud Pindarum ἐπείρωτα, geminus et plane par erit uterque locus.

vs. 62. ὄρσο, τέκνον, κ. τ. λ. Homerica dictio: ut Il. Ω. 89.

ὄρσο, Θέτι, καλέει Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς.

In-

Infinitivus ἴμεν pro imperativo ponitur: ne forte ab ὄρτο pendere putes. — *Φάμας ὄπισθεν, vocem sequens;* nempe divinam Apollinis vocem, qua filium appellabat. φήμη et φῆμαι saepius de Deorum voce et responsis usurpantur; ut apud Platon. Legg. I. pr. ubi vid. Ast. Animadv. p. 8. imprimis autem Wyttenb. ad J ... an. Or. I. Bibl. Crit. Part. IX. p. 62. n°. V.

vs. 64. ἵκοντο δ' ὑψηλοῖο πέτραν κ. τ. λ. πέτραν Κρονίου dicit τὸ ὄρος Κρόνιον, montem Olympiae, in cujus vertice statis temporibus sacra fiebant Crono; teste Pausan. VI. 20. pr. p. 501. et schol. ad vs. 116. Hoc nomen monti ab Hercule datum esse, narrat Pindarus Ol. XI. (X.) 51. sqq. ubi consulatur Boeckh. Hoc loco mons Cronius Pisam sive Olympiam significat: cf. Ol. I. 111. Nem. XI. 25. ὑψηλοῖο — ἀλίβατον; lyrica verborum abundantia.

vs. 65. ἔνθα οἱ ὤπασε θησαυρὸν κ. τ. λ. Duplex munus Iamo donavit Deus: primum artem vaticinandi; tum etiam oraculi Olympiae condendi sacerdotium. θησαυρὸν δίδυμον μαντοσύνας metaph. pro δίδυμον κτῆμα vel δῶρον, quo sensu hoc vocabulum saepius, praesertim de re eximia vel pretiosa, usurpari notum est; ut in celebrato Platonis dicto: τιμαὶ γονέων ἐκγόνοις καλὸς θησαυρὸς καὶ μεγαλοπρεπής. Menex. p. 247. B. τόκα μὲν opponitur sq. τότ' αὖ, pro τέως μὲν — τότ' αὖ. ψευδέων ἄγνωστον, Graeca dictione, pro ἀψευδῆ: ita ὕπνος Sophocli dicitur ὀδύνας ἀδαής, *doloris expers.* Philoct.

 827.

827. cf. Mitsch. ad Horat. Carm. I. 6. 6. Intelligitur autem veridica Apollinis vox, unde vates futura cognoscunt: de qua modo monuimus ad vs. 61.

vs. 67—70. *εὖτ' ἂν δὲ θρασυμάχανος ἐλθὼν — κτίσῃ, κ. τ. λ.* i, e. *quum condet* vel *condiderit*, rell. Pro ſubjunctivo grammatica ratio postulare videtur optativum; quandoquidem haec non ipſius poëtae verbis, ſed ex Apollinis mente addita ſunt, et a praeterito *ἐκέλευσε* pendent: *ἐκέλευσεν αὐτὸν, εὖτ' ἂν* (f. *ὅταν*) *ὁ Ἡρακλῆς — κτίσσειε, χρηστήριον θέσθαι*: h. e. *cum Hercules condidisſet.* Sin ſuis verbis Pindarus hoc addidisſet, ſcripſisſet: *εὖτε δὲ — ἔκτισσε.* Nunc vero, immutata temporum conſecutione, conjunctivum poſuit, quaſi praeſenti tempore ipſa Apollinis verba referret: *κελεύω θέσθαι χρηστήριον, εὖτ' ἂν Ἡρακλῆς κτίσῃ, κ. τ. λ.* cf. quae de conjunctivi uſu monuit Herman. ad Viger. p. 905. edit. ſecundae. De ſtructura particulae *εὖτ' ἂν* Boeckhius citat Thierſch. Act. Philol. qui liber mihi ad manum non est. Hercules, Alcaei nepos, vocatur *θάλος Ἀλκαϊδᾶν*, *Alcidarum germen*; ut Ol. II. 49. Therſander *Ἀδραστιδᾶν θάλος*; ubi vid. annot. — *τεθμὸν ἀέθλων* pro *τεθμίους ἀέθλους*, *certamina . ſolennia*. cf. Spanhem. ad Callimach. Apoll. 87. Similiter Mercurius homines formasſe dicitur *decorae more palaeſtrae.* Horat. Carm. I. 10. 3. ubi vid. Mitſcherl. — *ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ*; in ſumma enim parte Jovis arae poſitum erat Iamidarum oraculum; in

quo

quo praesertim ex hostiarum flamma (δι' ἐμπύρων) vaticinabantur. Vid. Boeckh. h. l. et Ol. VIII. pr.

vs. 71. ἐξ οὗ πολύκλειτον κ. τ. λ. Sensus est: Ex quo tempore Iamidae cum opes consecuti sunt, tum gloriam virtutibus partem obtinent. ἕσπετο ad Agesiae etiam majores, ἔρχονται ad ipsum Agesiam maxime refertur. Verbum ἕπεσθαι Pindarus cum accusativo junxit, cum soleat dici ἕπεσθαι τινι, Similiter Nem. X. 37.

ἕπεται δὲ, Θεαῖε, ματρώων πολύγνωτον γένος ὑμετέρων εὐάγων τιμά —

quem locum commode attulit Hermannus; minus bene autem interpretari videtur Dissenius. Fortasse accusativus pendet a suppresso κατά: uti dicitur βαίνειν, ἔρχεσθαι, σπεύδειν τινά, intellecta praepositione πρός vel ἐπί. — ἅμα frequenter cum ἕπεσθαι conjungitur, ut unum fere verbum ambo efficiant; exemplo Homeri Il. A. 158.

ἀλλὰ σοί, ὦ μέγ' ἀναιδές, ἅμ' ἑσπόμεθ' —

K. 285. — τιμῶντες referendum ad γένος Ἰαμιδᾶν, quo spectavit vetus grammaticus, cujus verba hoc ordine disponenda videntur: τὸ γένος — τιμῶντες· ὁμοίως τῷ Ὁμηρικῷ·

ἢ πληθὺς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἀπονέοντο.

ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται, i. e. *viam gloriae insistunt.* Isthm. IV. (V.) 25.

—— εἰ δὲ τέτρακται

θεοδότων ἔργων κέλευθον ἂν καθαράν.

cui opponit ἐπίκρυφον οἶμον, i. e. ἀδοξίαν. Ol. VIII. 69.

69. Usitata et frequens est apud Graecos metaphorica haec dictio. Herod. I. 117. οὐ τρέπεται ἐπὶ ψευδέα ὁδὸν, pro, ἐπὶ ψεῦδος. Thucyd. III. 64. μετὰ γὰρ Ἀθηναίων ἄδικον ὁδὸν ἰόντων ἐχωρήσατε. Homer. H. in Merc. 549. Eurip. Med. 1067. Androm. 1126. Minus autem recte, ut videtur, ὁδὸν in hac dictione pro *vita* dictum volunt: ut Boeckh. ad Ol. VIII. 69. Dorville ad Charit. p. 522.

vs. 73. τεκμαίρει χρῆμ' ἕκαστον, i. e. *Suum quemque opus probat.* Breves hujusmodi sententias amat Pindarus; similis occurrit Ol. IV. 20. διάπειρά τοι βροτῶν ἔλεγχος. Sententia haec una cum sequenti hanc habet vim: Quamquam invidia, (ut fieri solet) Agesiae laudes premit, tamen ejus virtutem obscurare non poterit: etenim cujusque virtutem res probat; sive, virtus cujusque ex operibus elucet. In sequenti sententia, verborum consecutio haec est: μῶμος ἐξ ἄλλων (i. e. μῶμος ἄλλων) φθονεόντων κρέμαται (ἐπικρέμαται) τοῖς, οἷς πότε πρώτοις κ. τ. λ. — μῶμος idem atque φθόνος, ut ostendit Spanhem. ad Callim. Apoll. vs. 113. quem alatum fingit Alcaeus, Epigr. V. (Anal. Brunck. T. I. p. 487.)

Μώμου λαιψηρὰς ἐξέφυγε πτέρυγας.

Χάρις est Gratia decus et victoriam afferens: ut Ol. VII. 11.

ἄλλοτε δ' ἄλλον ἐποπτεύει Χάρις ζωθάλμιος. —

cf. ad Ol. II. 55. Haec igitur victoribus ποτιστάζει εὐ-

εὐκλέα μορφάν, quafi unguentum affundens, praeclaram five decoram praebet faciem.

vs. 77. εἰ δ' ἐτύμως ὑπὸ Κυλλάνας κ. τ. λ. Non forte fortuna victoriam reportavit Agefias, fed divina Mercurii ope et favore, tanquam religionis praemium. Similis locus Ol. III. 40. fqq. quem indicavit Heynius. — ματρώες ἄνδρες funt majores materni: intelligitur imprimis Elatus, pater Aepyti, a quo educata et veluti adoptata erat Euadne (fupra 32 - 35.), Iami illa, atque adeo Iamidarum mater. Hic Elatus habitabat ὑπὸ Κυλλάνας ὅροις, *fub Cyllenes finibus*, i. e. in finibus Arcadiae fub monte Cyllene: quod etiam Paufanias testatur, VIII. 4. p. 604. Ἔλατος δὲ ἔσχε τὸ ὄρος τὴν Κυλλήνην, ἔτι τότε οὖσαν ἀνώνυμον. In eodem monte cum natus esfet Mercurius, tum magna etiam religione colebatur: ejus templum memorat Paufan. VIII. 17. pr. Hinc etiam Ἀρκαδίαν εὐάνορα τιμᾷ; ut Homer. H. in Merc. pr.

Ἑρμῆν ὕμνει, Μοῦσα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱόν,
Κυλλήνης μεδέοντα καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου.

Idem vero Deus ἀγῶνας ἔχει μοῖράν τ' ἀέθλων, *certaminibus praeest*; unde ἀγώνιος dictus. Vid. Mitfcherl. ad Horat. Carm. I. 10. 3. Eodem honore et nomine tres alii Dii, Jupiter, Apollo, Neptunus celebrabantur. cf. Stanlei. ad Aefchyl. Suppl. 192. ἀέθλων μοῖραν h. ἄεθλα. Sic Ol. VII 76. ἔχον — ἀγώνων μοῖραν. Nem. X. 52. ἀγώνων μοῖραν — διέποντι. alibi. θυσίαις λιταῖς pro λιτανευτικαῖς; fimiliter Pyth. IV. 217. Hefych. λιτή· λιτανευτή. Obfer-

 van-

vandum, hoc vocabulum priorem fyllabam habere brevem, ne forte eodem fenfu accipias illud Lentuli (Anal. Brunk. T. II. p. 166.) ad Neptunum;

σοὶ τάδε πέμπω
ψαιςία καὶ λιτῆς δῶρα θυηπολίης.

et alia, quae ducuntur a λιτός, *exiguus*, quod priorem fyllabam habet longam.

vs. 82. *δόξαν ἔχω τιν' ἐπὶ γλώσσᾳ κ. τ. λ.* Poëta cognationem recordatus, quae esfet fuam inter et Agefiae gentem, jucunda hac cogitatione ait fe ad canendum incitari. Hoc autem lyrice et audacter, atque ob id ipfum paullo obscurius, enuntiavit. Lumen attulerunt Heynius et Boeckhius; neque tamen omnia fatis dilucide explicuerunt. Locum ita interpretandum existimamus. δόξα, h. e. *res quae in hominum opinione et ore verfatur, traditio, fama:* ut Pyth. IX. 107. ubi ex Boeckhii emendat. haec leguntur:

—— ἐμὲ δ' ὦν τις ἀοιδάν
δίψαν ἀκειόμενον πράσσει χρέος αὖθις ἐγεῖραι
καὶ παλαιὰ δόξα τεῶν προγόνων· —

ἀοιδὰν fcripfimus ibi pro ἀοιδᾶν. Ordo enim est: παλαιά τις δόξα τεῶν προγόνων πράσσει χρέος ἐμέ, δίψαν ἀκειόμενον, αὖθις ἐγεῖραι ἀοιδάν. cf. Ol. IX. 51. ubi fimiliter δόξα παλαιὰ est *vetus traditio* feu *fama.* — h. l. addit poëta ἀκόνας λιγυρᾶς, i. e. *traditio vim habens* five *inflar cotis ftridulae*; quae linguam ad canendum acuit. Simili fenfu genitivus ponitur in Aefchyl. Choëph. 183.

ἐξ ὀμμάτων δὲ διψίων πίπτουσί μοι
σάγονες ἄφρακτοι δυσχίμου πλημμυρίδος,

quod ſecundum Schutz. ita verto: *Ex oculis autem ſiccis repente prorumpunt lacrymarum guttae rivi per hiemem exundantis inſtar.* Similiter quoque in Sophocl. Antig. 114. λευκῆς χιόνος πτέρυξ dicitur *ala nivis inſtar candida.* — *Cotis* autem tropus ductus est (ut Heyne monuit) ex vulgari loquendi conſuetudine, cum dicant θήγεσθαι, ὀξύνεσθαι γλῶσσαν, σόμα; atque ipſa lingua cum *telo* comparatur, Nem. VII. 71. — ἀκόνη dicitur λιγυρά propter ſonum, qui editur, quando ferrum in cote acuis; ut recte Boeckh. Porro articulus ἃ refer, ad δόξαν, non ad ἀκόνας. — μ' ἐθέλοντα προσέρπει; pro μοι ἐθέλοντι, ut interpr. ſchol. et ita Sophocl. Antig. 618. cit. Boeckh, unde facile quis ſuspicetur, legendum esſe μ' ἐθέλοντι προσέρπει, pro μοὶ ἐθέλοντι. ut Homer. Il. Z. 165.

ὅς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.

et ſaepius Tragici: de quo monuit doct. Lenting. ad Eurip. Med. vs. 57. Attamen vulgata lectio bene ſe habere videtur; nam occurrunt et alia hujusmodi verba, quae cum utroque caſu junguntur: ut in Aristoph. Pace, 180.

πόθεν βροτοῦ (φωνὴ) με προσέβαλ'; —

i. e. *unde hominis vox mihi accidit?* pro quo uſitatius μοὶ προσέβαλε. Similiter προσπίπτειν interdum pro dativo accuſativum post ſe habet; ut docuit Reiskius ad Lucian. T. II. p. 871. Hemſt. Utroque item caſu occurrunt verba, ὑπέρχεσθαι, εἰς-

ἔρ-

ἔρχεσθαι, εἰσιέναι. Vid. Hemſterh. ad Lucian. T. I. p. 26. Wyttenb. Bibl. Crit. Vol. II. Part. I. p. 43. ſq. — καλλιρόοισι πνόαις, *per ſuaves tibiarum ſonos.* πνόαι ſaepius dicuntur *muſici ſoni:* unde αὐλοὺς ἡδὺ πνέοντας Myrin. II. (Anal. Brunck. II. p. 107.) et Μοῖσα ἀδύπνοος Pindar. Ol. XIII. 21.

vs. 84. ματρομάτωρ ἐμὰ κ. τ. λ. *Metopa* ex Arcadia oriunda uxor erat Aſopi, cujus filia Thebe, a qua Thebarum civitas nominata. Vid. Boeckh. Hinc Pindaro, tanquam Thebano, cognatio erat cum Ageſia, qui Arcadicae erat originis. Saepius poëta ſuam cum victoris gente cognationem praedicat: ut Pyth. V. 72. ſqq. Isthm. VII. (VIII.) 16. ſqq. Θήβα πλάξιππος vocatur a ſtudio Thebanorum equitandi; unde Θῆβαι εὔιπποι. Eurip. Phoen. 17. cf. Boeckh. τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ πίομαι, nempe e fluvio Dirce, cujus amoenitas et ſalubritas celebrata est a poëtis: ut ab Aeſchylo, Sept. adv. Theb. 292. qui vocat ὕδωρ Διρκαῖον εὐτραφέστατον πωμάτων. Caeterum *Thebes aquam bibere* ornate dixit, pro *Thebas incolere:* quae dictio uſitata poëtis. Sic Germanus appellatur *Rhodani potor.* Horat. Carm. II. 20. 20 ubi vid. Mitsch. cf. Pyth. IX. 91. πίομαι, item πίω, pro πίνω, ſatis frequens est in poëtis, ut mirer, ſcholiasten accepiſſe pro futuro; cum vertat γεύσομαι.

vs. 86. πλέκων ποικίλον ὕμνον. Elegans dictio, a florum ſimilitudine deſumta, qua ſaepius utuntur poëtae. Horatius, Carm. I. 26. 6.

O quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,

Nec-

Necte meo Lamiae coronam,
Pimplei dulcis. —

Eurip. Hippol. 73.

σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω.

ubi *λειμὼν ἀκήρατος* dicitur *Musarum hortus*, quem similiter finxerunt poëtae. Pindar. Ol. IX. 29.

ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον.

cf. Plat. Ion. p. 534. B. Pluribus haec illustrarunt Valcken. et Mitscherl. ad Eurip. et Horat. l. l.

vs. 87. *ὄτρυνον νῦν κ. τ. λ.* Jam, praeclara Thebanorum origine exposita, poëta mente incitatus hortatur choregum, ut vetus illud opprobrium (*Βοιωτίαν ὗν*), immerito genti suae inhaerens, vindicet. Hoc enim opprobrium ductum erat, ut videtur, a barbarae cujusdem gentis nomine (qui appellati erant *Ὕαντες*), a qua gente Boeotos oriundos esse vulgo credebant: hinc autem simul ad crassum et pingue Boeotorum ingenium notandum adhibebatur, quo spectat illud Horatii dictum:

Boeotûm in crasso jurares aëre natum.

Ep. II. 1. 244. Nam *ὗς* stupidum et inertem notat. Vid. Aelian. XIII. 25. et ad h. l. intp. Egerunt de hoc proverbio schol. et VV. DD. quos citat Boeckh. Hoc igitur probrum Pindarus depellere studet *ἀλαθέσιν λόγοις*; nempe verâ Thebanorum origine expositâ. — Prius tamen, quam gentis suae nomen vindicat, debitum solvit Junoni honorem. Juno autem unde h. l. *Παρθενία* cognominetur,

non convenit inter intpp. Scholiastes Παρθενίαν explicat τὴν ἐν τῷ Παρθενίῳ τῷ ὄρει τῆς Ἀρκαδίας τιμωμένην. Sed in hoc monte haud cultam Junonem, nedum cognomen a loco esse fortitam, relatum est. Alii cognomen hoc ab insula Samo ductum existimant, ubi Ἥραν Παρθενίαν cultam esse constat, appellatam, ut vulgo putant, a fluvio *Parthenio*, qui postea *Imbrasus* est vocatus: teste Spanhem. ad Callimach. Del. p. 416. unde duxit Mitscherl. ad Homeri H. in Cer. p. 434. sq. ed. Ruhnk. Mirum vero, cur Pindarus, in Stymphalo celebrando Samiam Junonem memoret. Potius Stymphaliam Junonem intelligendam esse, merito Boeckh. censet, quamvis cognominis ratione non addita. Equidem hoc cognomen non a certo quodam loco Junoni datum, sed ipsi Deae proprium fuisse existimo. Juno enim quamvis conjux et mater, virgineae tamen castitatis amore erat insignis. Hinc illa Argivorum fabula, Junonem apud se quotannis in fonte quodam lavare, et lavatam denuo virginem fieri. Pausan. II. 38. p. 201. Olympiae item in Junonis honorem instituta erant festa, in quibus virgines certamina agebant. id. V. 16. p. 417. In Euboea autem Junonem Παρθένον appellatam esse testatur schol. — A παρθένος, *virgo*, ducitur παρθένιος, *virgineus*, *virginitatis studiosus:* a quo Junonis cognomine insulam Samum quondam *Partheniam*, et fluvium Imbrasum *Parthenium* nominata fuisse opinor, quod contra solent opinari. Cur poëta Junonem hic memoret, satis causae erat in eo, quod

quod Stymphali praecipuo honore colebatur, teste Pausan. VIII. 22. p.640. Accedit, quod nonnulli ferunt apud schol. τὸν Ἀγησίαν ἱδρύσασθαι ἄγαλμα Ἥρας; quod tamen est incertae fidei. — *Aeneam*, quem alloquitur poëta, choregum fuisse, satis patet; verosimiliter autem fuit Agesiae propinquus, in cujus gratiam hoc munus susceperat, ut docte ostendit Boeckh. — γνῶναι h. γνωρίσαι, *apertum facere.*

vs. 90. ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός, κ. τ. λ. Magnifice his verbis Aenean compellat, tanquam Musarum praeconem et nuntium; quod nomen in ipsum poëtam proprie conveniebat: nam ἄγγελος, ἀγγέλλειν de poëtis dici solet. Simili ratione Nem. III. pr. juvenes, quibus chorus constabat, appellantur μελιγαρύων τέκτονες κώμων, quod proprie item est poëtarum. Sed nimirum ad carminum suavitatem praeter poëtam non minimum conferebat choregus una cum choro; unde hi etiam in eandem veniunt laudis societatem. — σκυτάλα lyrice pro eo, qui fert scytalam, i. e. Μουσᾶν κήρυξ. Similiter intelligendum est id, quod occurrit in Epigr. ἀδεσπ. (Anal. Brunck. T. III. p. 260.) DXIX.

Πίνδαρε, Μουσάων ἱερὸν στόμα —

ubi στόμα dicitur is, qui Musarum voces profert, Μουσᾶν προφήτης. Non minus lyrice is, qui carmina parat, vocatur κρητὴρ ἀοιδᾶν: quippe ut vinum e cratere, ita e poëtae vel cantoris ingenio aut ore carmina profluunt. Simili dictione usus est

Aris-

Aristophanes, quum festive ita de ſycophanta dicit:

> πάγχρηστον ἄγγος ἔσται,
> κρατὴρ κακῶν — καὶ κύλιξ
> τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.

Acharn. 936. ſqq. cit. Heyn. — Eadem metaphora κεραννύειν de poëtis dicitur, ut in oda Anacreontica ἀδεσπ.

> Πινδαρικὸν τόδε μοι μέλος
> συγκεράσας τις ἐγχέει.

et in Epigr. ἀδεσπ. (Anal. Brunck. T. III. p. 271.) DLXXIII.

vs. 92. εἰπὸν δὲ μεμνᾶσθαι κ. τ. λ. Nunc vertit ſe ad Syracuſas, Ageſiae civitatem, in qua habitabat. Pergit igitur ad Aenean: jube porro ſocios ſive chorum, Syracuſarum et Ortygiae *meminisſe*, h. e. praedicare: ut ſupra vs. 11. Huc pertinent verba Ariſtarchi in ſcholiis, quae ſic emendanda videntur: τοῖς κατὰ τὸν χόρον εἰπὸν, ἐπικέλευσον, τῶν τε Συρακούσων μεμνῆσθαι κ. τ. λ. Vulgo legitur τοῖς κατὰ τὸν χρόνον εἰπεῖν, ἐπικελεύων κ. τ. λ. *Ortygia*, vulgo inſula dicta, vetuſtisſima et nobilis Syracuſarum pars, Dianae ſacra; in qua celebris fons erat Arethuſa. Ibi praeter Hieronis regiam ipſius quoque Ageſiae aedes fuisſe veroſimile eſt, ut monuit Boeckh. cf. Cluver. Sicil. ant. p. 187. ſqq. καθαρῷ σκάπτῳ (σκήπτρῳ) διέπων, h. *juste gubernans*; de qua Hieronis laude ad Pyth. I. 86. monendi erit locus. — ἀμφέπει Δάματρα, λευκίππου τε θυγατρὸς ἑορ-

ἑορτὰν καὶ Ζηνὸς Ἀτνκlου κράτος, ornate pro ἀμφέπει (*administrat*) Δάματρα καὶ Κόραν καὶ Ζῆνα Αἰτναῖον. *Ceres* et *Libera* in Sicilia praecipue colebantur, iisque tota insula sacra erat. Cic. Verr. Act. II. Lib. IV. 48. Harum Dearum sacerdotium gentilitio jure exercebat Hiero, quo spectat poëta; ut monet schol. cf. Boeckh. Cererem vocari φοινικόπεζαν a rubicundo frumenti colore, putat Boeckh. comparans Homerum, a quo ξανθὴ Δημήτηρ dicta. At epith. ξανθὴ Dearum commune est, ad comae colorem praecipue spectans; et h. l. φοινικόπεζα ex prisci sermonis ratione pulcritudinem notare videtur. Ita enim antiqui aurum, argentum, purpuram, violam, rosam universe ad pulcritudinem et venustatem significandam referebant. Hinc Bacchus χρυσοκόμης, Thetis ἀργυρόπεζα, Venus ῥοδόπηχυς, alii aliis cognominibus appellati. — Libera est λεύκιππος, *candidis equis vecta*, quod cognomen a lunae fulgore accepisse videtur, cui etiam currum tribuit Pindarus Ol. III. 20. Similiter ἡμέρα λευκόπωλος dicta ab Aeschylo, Pers. 384. et aliis; item Ἠὼς λεύκιππος. Vid. Stanl. ad Aeschyl. l. l. Scholiastes ideo hoc epitheton Proserpinae tributum dicit, quod candidis equis ab Inferis ad Olympum vehi fingitur; sed haec fictio, vide, num ab ipso Lunae ortu sit deducta. Ζηνὸς κράτος pro simplici Διὸς, cujus potentia clara; similiter Aeschyl. Eumen. 27. Ποσειδῶνος κράτος καλοῦσα. Eadem circumlocutione, quam amant Graeci poëtae, dicitur σθένος ἀελίου. Pindar. Pyth. IV. 144. Ἀθηναίας σθένος. Ae-

 schyl.

ſchyl. Eumen. 295. βίη Ἡφαίστου. Homer. H. in Merc. 115. ſimilia. Cf. quae annotavit Alberti ad Heſych. V. βίην Ἡρακλ. — Jupiter autem *Aetnaeus* dictus ab Aetna civitate, nuper ab Hierone condita: ut cenſet Boeckh. Mihi potius ab Aetna monte ita cognominatus videtur, quo nomine Jovem in Sicilia honoratum puto. Ita Ol. IV. in civis Camarinaei laudibus, eundem invocat:

ἀλλ', ὦ Κρόνου παῖ, ὃς Αἴτναν ἔχεις,
ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογκεφάλα Τυφῶνος ὀμβρίμου.

cf. Pyth. I. 29. ſq. Ad montem quoque referuntur, ni fallor, illa ſchol. verba: ἐν τῇ Αἴτνῃ Διὸς Αἰτναίου ἄγαλμα ἵδρυται, καὶ ἑορτὴ Αἰτναῖα καλεῖται.

vs. 96. ἀδύλογοι δέ μιν — γινώσκοντι. Antiqui grammatici verbum γινώσκοντι h. l. interpretantur, γνωρίζουσιν, ὑμνοῦσιν. Sed fefellit eos Pindaricae dictionis ratio. Potius ita vertendum: *lyrae et carmina illum norunt;* pro quo vulgari modo dixisſet: *novit ille* ſive *expertus est ſaepe chororum laudes et cantum.* Similiter Ol. VIII. 83. ὅ τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω μιν. *etiam Argivum aes novit illum;* h. e. *novit ille* ſive *nactus est quondam Argivum aes* (certantium praemium). — Eadem ratione frequenter uſurpatur etiam V. λαγχάνειν. ut Ol. XI. (X.) 92. πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἀλλότριον θνάσκοντι στυγερώτατος. dictum pro, πλοῦτος, ὃν ἀλλότριος ποιμὴν ἔλαχε, — *Opes, quas alienus haeres ſortitur, dolorem afferunt morienti*: ad quam ſententiam una cum praecedd. cf. Homer. Il. E. 152 — 158. Similiter

ex-

explicandum Ol. VIII. 15. ὔμμε δ᾽ ἐκλάρωσεν πότμος Ζηνὶ γενεθλίῳ. vulgari modo dicitur: ὑμεῖς ἐκληρώσατε πότμον σὺν Διῒ γενεθλίῳ. Vulgo minus recte interpretantur. cf. Pyth. II. 27. al. — Caeterum Hieronem a poëtis Pindaro, Simonide, Bacchylide, quorum ſtudioſus erat, multis laudibus cum ob victorias, tum aliis cauſſis celebratum fuiſſe, et ſponte intelligitur, et Pindarus indicat Ol. I. 14. ſqq. ubi cf. Boeckh.

vs. 97. μὴ θραύσοι χρόνος κ. τ. λ. Hieronis laudibus addit votum pro ejus felicitate: ſic demum, regis benivolentia conciliata animoque placato, victorem Ageſiam ei commendat. χρόνος ἐφέρπων, *tempus ſubſequens* ſive *futurum*: ut ὁ ἐπιῤῥέων χρόνος Aeſchyl. Eumen. 842. — μὴ θραύσοι (θραύσαι) ὄλβον, *ne frangat* ſive *affligat illius opes*. Heſychius: θραύει, συντρίβει. ubi opportune Alberti citat Jerem. cap. XXVIII. 30. ed. Vatic. ἐθραύσθη ἡ δυναστεία αὐτῶν. Verbum translatum videri a curuli certamine, monet Boeckh. commode afferens Eurip. Herc. fur. 776. (780.)

ἔθραυσε δ᾽ ὄλβον κελαινὸν ἅρμα.

Eadem metaphora dicta ſunt illa Ciceronis (Or. III. 2.): „ O fallacem hominum ſpem fragilemque fortunam et inanes noſtras contentiones, quae in medio ſpatio ſaepe franguntur et corruunt."

vs. 98. σὺν φιλοφροσύναις εὐηράτοις κ. τ. λ. Φιλοφροσύνη est *comitas* ſeu *benevolentia*; φιλοφροσύναι ſunt *benevolentiae indicia*, ut feſtae epulae, gaudia, apparatus. — Pro genitivo Ἀγησία, praeferrem

rem dativum 'Αγησίᾳ, propter usum Pindaricum, Ol. XIII. 28. Ζεῦ πάτερ, — δέξαι δέ οἱ στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν. Pyth. VIII. 5. Πυθιόνικον τιμὰν 'Αριστομένει δέκευ. Pyth. XII. 5. δέξαι στεφάνωμα τόδ' ἐκ Πυθῶνος εὐδόξῳ Μίδᾳ. ad quem locum haec jam annotavit Schmid. cf. Epigr. ἀδεσπ CXXXVII. (Anal. Brunck. T. III. p. 177.) — Porro ποτινισσόμενον poëta ad κῶμον retulit, cum proprie ad Agesiam pertineret. Agesias igitur una cum solenni pompa confert se Stymphalo Syracusas, quam utramque habebat patriam: hinc Pindarus dicit, οἴκοθεν οἴκαδε; de quo in argumento egimus. Ad Stymphalum haud dubie referendum, quod sequitur: ματέρ' εὐμήλοιο λείποντ' 'Αρκαδίας. Boeckhius interpretatur *Arcadiae metropolin;* at Stymphalus Arcadiae metropolis non est habita. Potius ita accipiendum puto, ut si dixisset: λείποντα τὴν ἑαυτοῦ μητέρα, Στύμφαλον 'Αρκαδίας πόλιν, *patriam suam, Arcadiae urbem Stymphalum, relinquentem;* pro quo Pindarus breviter, ut solet, dixit ματέρα 'Αρκαδίας, eadem fere ratione, qua Graece dici solet Στύμφαλος τῆς 'Αρκαδίας, Οἰνόη τῆς 'Αττικῆς, ἀνὴρ Αἰθιοπίας, similia. Μήτηρ eleganter dicitur *patria*, quae cives tanquam parens procreavit et aluit. Ol. X. 22, Pyth. VIII. 103. cf. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 16. sqq. Plato, de Rep. III. p. 414. E. — 'Αρκαδίας εὐμήλοιο; ut Homerus, 'Αρκαδίην πολυπίδακα, μητέρα μήλων. H. in Pan. 30. in Mercur. pr.

vs. 100. ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ κ. τ. λ. Duas civitates poëta cum duabus anchoris comparat,

rat, quibus civilium turbarum tempestates possit sustinere. Qua comparatione saepius utuntur Graeci: ut Aristid. Panathen. T. I. p. 110. ed. Jebb. ubi de Athenis dicit: ἅπασι γὰρ ἡ πόλις ἑαυτὴν παρεῖχε τοῖς ἐν χρείᾳ κοινὴν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς. καὶ πάντες ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν ἔδοξαν οἱ Ἕλληνες, ἀληθῆ νομίσαντες· ἰδίᾳ μὲν ἕκαστοι τὴν ἀρχαίαν, κοινὴν δὲ ἅπαντες ταύτην προσονομάζοντες πόλιν. cujus loci meminit Erasmus Adag. *duabus ancoris fultus.* cf. Eurip. Phaëth. fr. VI. ed. Beck. Simile est celebratum illud Solonis dictum de duobus consiliis Athenis constitutis: οἰόμενος ἐπὶ δυσὶ βουλαῖς ὥσπερ ἀγκύραις ὁρμοῦσαν ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι. Plutarch. T. I. p. 88. Eandem comparationem ad seniorum concilium in sua civitate transtulit Plato de Legg. XII. p. 961. C. Φημί, εἴ τις τοῦτον (τὸν ξύλλογον) βάλλοιτο οἷον ἄγκυραν πάσης τῆς πόλεως πάντα ἔχουσαν τὰ πρόσφορα ἑαυτῇ, σώζειν ἂν ξύμπαντα, ἃ βουλόμεθα. Quibus jungantur ea, quae Boeckh. h. l. contulit.

vs. 103. δέσποτα ποντόμεδον, κ. τ. λ. Finem carmini statuit, votis Neptuno faciendis pro prospera Agesiae navigatione. Neptunus appellatur πόσις Ἀμφιτρίτας; qui ritus in Diis appellandis saepius est servatus: ut annotavimus ad Ol. II. 85. χρυσηλάκατος, i. e. *aureo colo instructa;* quod est Dearum epitheton, ab humana consuetudine ductum; cum colus praecipuum esset mulierum instrumentum, ut ex Homero notum est. cf. Boeckh. — Addit votum pro suorum carminum

flo-

flore. — *ὕμνων ἄνθος εὐτερπὲς*, ornato pro *τὸ εὐτερπὲς* five *τὴν τέρψιν*, *gratiam*, *fuavitatem*, pofuit. Nam *ἄνθος* de rebus jucundis et fuavibus interdum ufurpatur. Hac prece illud, credo, Neptunum precatur poëta, ut carmen fuum, in Agefiae laudem confectum, falvum transvehatur in Siciliam et gratum fit Syracufanis.



AN-

ANNOTATIO

IN

PYTH. I.



vs. 1. *χρυσέα Φόρμιγξ.* Magnificum exordium de lyrae et musices vi atque laudibus: quod in Apollinis honorem, Pythiorum praesidis ejusdem et musicorum Dei, maxime conveniens; tum etiam ad Hieronis regis animum, curis, si forte, distractum et agitatum, componendum et musices dulcedine deliniendum haud erat incommodum. Lyram saepius invocant lyrici poëtae: ut Pind. Nem. IV. 44. Sappho fragm.

ἄγε μοι, δῖα χέλυ, Φωνάεσσα γένοιο.

Horat. Carm. I. 32. pr. ubi plura notavit Mitsch. — Lyra *aurea* est *divina*, ut mox dicit, *Musarum et Apollinis instrumentum:* quibus, ut Deorum omnia sunt aurea, sic etiam aurea lyra tribuitur a poëtis: ut Hesiod. Scut. H. 203. Callimach. Apoll. 32. sq. ubi cf. Spanhem. Horat. Carm. IV. 3. 17. Tibull. El. III. 4. 37. sq. Ovid. Art. Am. II. 494. Similiter plectrum Apollinis aureum facit Homer.

H. in Apoll. 185. Pind. Nem. V. 24. — Aurea lyra etiam vatibus ob cantûs excellentiam tributa: ita Orpheus χρυσολύρης dictus in Anal. Brunck. T. I. p. 183. T. III. p. 253. Epigr. CCCCLXXXII. item Sappho fingitur χρυσείην χέρσιν ἔχουσα λύρην. Epigr. (ibid. T. III. p. 261.) DXXI. et hac ratione Horatius Alcaeum *aureo plectro ſonantem* facit. Haud elegans ſane, imo abjecta fuit quorundam opinio, a ſchol. prodita, qui crederent auream citharam poëtae ab Hierone promiſſam: hinc ſcilicet natam eſſe illam citharae aureae laudationem.

vs. 2. σύνδικον Μοισᾶν κτέανον. In voce σύνδικον non conſentiunt intpp. Σύνδικος et συνδικεῖν proprie uſurpantur de eo, qui alicujus est in judicio ſocius vel patronus: ut Steph. Theſ. L. G. aliique docuerunt. Hinc ad muſicorum concentum translatum, σύνδικος est σύμφωνος, συνῳδός, ut ſchol. et Heſych. interpretantur. Itaque ſic accipiendum: *Aurea lyra, Apollinis et Muſarum inſtrumentum* (κτέανον), *eademque vocis ſocia et adjutrix* (σύνδικος). Pindarus κτέανον σύνδικον conjunxit; quod nostro ſenſu durius, at idem illius dictioni congruum: ut Ol. II. 8. ἄωτον ὀρθόπολιν. ibid. 49. θάλος ἀρωγόν. Simili modo μάρτυς, a judiciis item deſumtum, ad cantum transfertur: Pyth. XII. 27. tibiae dicuntur πιστοὶ χορευτᾶν μάρτυρες; quod huic dictioni prorſus ſimile est, ut recte Heynius notavit. Eodem ſenſu cithara ab Homero Apollinis ἑταίρη λιγύφωνος appellata. H. in Merc. 478. Miror equidem Hermannum, quem ſecutus est Boeckhius, hac

hac interpretatione rejecta, aliam nec usitatam intulisse illius vocabuli significationem. Accipit enim vi passiva: κτῆμα, *quod communi jure ab utrisque* (Musis et Apolline) *possidetur*; et confert vocabulum ἔνδικον, *quod jure alicui competit*. Pyth. V. 103. add. Aeschyl. Eum. 795. similiter etiam ὑπόδικος τινος est *alicujus imperio subjectus*, sive *alicui obnoxius*. ibid. 255. Atqui si ἔνδικος et ὑπόδικος passivam habent vim, non idcirco idem valet de voce σύνδικος. Similiter differunt ἔννομος et σύννομος; alterum passivam, alterum vim habet activam. Pyth. IX. 59. Isthm. III. 17. Quamobrem vett. grammaticorum et Heynii interpretatio unice mihi probanda videtur. Μοισᾶν ἰοπλοκάμων. h. capillos pulchros habentium. cf. annot. ad Ol. VI. 29. sq.

vs. 4. τᾶς ἀκούει μὲν βάσις, κ. τ. λ. Βάσις est saltantium incessus, qui pedis sublatione et positione (ἄρσει καὶ θέσει) constat; rhythmici motûs principium. Vid. Platon. de Rep. III. p. 399. E. Legg. II. p. 670. D. Tum decorum in saltando significat motum, atque ipsam adeo saltationem: ut explicat schol. et Hesych. βάσις. ὁ ῥυθμός. Eodem sensu βαίνειν et ἐμβαίνειν significant χορεύειν, ut interpretatur schol. ad Aristoph. Ran. v. 379. et sic corrigendus videtur Hesychius: ἐμβείη. — χορεύσῃ. Vulgo χορήσῃ. cf. Boeckh. et, qui praeivit, Spanhem. ad Aristoph. Nub. 638 et 651. ad Callimach. Apoll. vs. 12. ἀγλαΐας ἀρχά, laetitiae et festivitatis princeps sive auctor praecipua.

vs. 4. ἁγησιχόρων — ἐλελιζομένα. Antiqui grammatici his verbis intelligunt citharae praeludia, quae vocant, sive τὰς προαναφωνήσεις. Nam προοίμιον est musicorum propria vox, significans pauca illa, quae citharoedi, antequam legitimum carmen inchoarent, canebant, vel emerendi favoris gratia, vel cantûs praeparandi (cf. Quinctil. I. O. IV. 1. pr.); velut in luctando athletae concutiendis brachiis certamen solebant praeparare, quod ἀνακινεῖν appellatum. Utramque notionem eleganter conjunxit Plato, de Legg. IV. p. 722. D. ὅτι λόγων μὲν πάντων καὶ ὅσων φωνὴ κεκοινώνηκε, προοίμιά τέ ἐστι καὶ σχεδὸν οἷόν τινες ἀνακινήσεις, ἔχουσαί τινα ἔντεχνον ἐπιχείρησιν, χρήσιμον πρὸς τὸ μέλλον περαίνεσθαι, καὶ δή που κιθαρῳδικῆς ᾠδῆς λεγομένων νόμων καὶ πάσης μούσης προοίμια θαυμαστῶς ἐσπουδασμένα πρόκειται. quem locum docte illustravit Ast. In eadem re usurpatur ἀναβάλλεσθαι, quod vett. grammatici interpretantur προοιμιάζεσθαι; unde ductum ἀναβολή, h. e. proprie *canendi inceptio* (ἡ ἀνάκρουσις), deinde item προοίμιον, ἀρχή. Vid. intpp. ad Hesych. vv. ἀμβλήδην et ἀναβάλλετο, et qui ibi citantur. Itaque h. l. προοιμίων ἀμβολὰς τεύχειν est idem, quod ἀναβάλλεσθαι προοίμια, sive simplicius, προοιμιάζεσθαι. Ipsa autem προοίμια dicuntur ἁγησίχορα, quod choreae praecinunt. Aliter explicat Boeckh. ita vertens: *Choros ducentium hymnorum quando initium facis.* ἀναβολὰς interpretatur primos citharae sonos, quam hoc ipso versu demum accinisse censet: προοίμια accipit pro ipsis hymnis; qua significatione hoc voca-

cabulum usurpari docuerunt Menagius ad Diog. L. VIII. 57. Wyttenbachius ad Platon. Phaed. p. 115. alii; potius tamen, si hanc interpretationem sequare, προοίμια hic accipias de hymnorum principio, quo sensu magis convenit epith. ἀγησίχορα. Ita προοίμιον usurpatum Pyth. VII. pr. Aeschyl. Agam. 829. quod idem ὕμνου προκώμιον dicitur Nem. IV. 11. Congruit vero haec Boeckhii interpretatio cum antiqua, ut aestimatur, hujus carminis melodia, in qua ad tertium demum vs. adscriptum est: Χορὸς εἰς κιθάραν; ut duo priores vss. sine instrumento a solo coryphaeo videantur cantati. Vid. Boeckh. Metr. Pind. III. 12. Atque hunc ipsum antiquiore tempore apud Graecos morem obtinuisse, ut non chorus instrumentorum sonos sequeretur, sed instrumenta choro cantanti accinerent, Boeckhius aliique statuunt, inducti auctoritate Pratinae, veteris poëtae, qui Pindaro fere aequalis fuit, apud Athenaeum XIV. 617. C. D. ubi haec leguntur: Πρατίνας δὲ ὁ Φλιάσιος (λέγει), αὐλητῶν καὶ χορευτῶν μισθοφόρων κατεχόντων τὰς ὀρχήστρας, ἀγανακτεῖν τινὰς ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτριον, ἀλλὰ τοὺς χόρους συνᾴδειν τοῖς αὐληταῖς. ὃν οὖν εἶχε θυμὸν κατὰ τῶν ταῦτα ποιούντων ὁ Πρατίνας, ἐμφανίζει διὰ τοῦδε τοῦ ὑπορχήματος. Sequuntur deinceps Pratinae versus, in quibus hi praecipue memorandi:

τὰν ἀοιδὰν
κατέστασε σὺ, Πιερὶς, βασίλεια.
ὁ δ' αὐλὸς ὕστερον χορευέτω·

καὶ

καὶ γὰρ ἔσθ' ὑπηρέτας κώμων μόνον,
θυραμάχοις τε πυγμαχίαισι
—— ἔμμεναι στρατηλάτας.

Pro *ὁ δ' αὐλὸς* edd. *οὐδ' αὐλὸς*; quod haud scio, an probandum sit. Invehitur Pratinas in nimium *tibiarum* strepitum, quas a multis ut indignas et indecoras fuisse improbatas, satis notum est; unde etiam a Minerva repudiatae feruntur. Plato de Rep. III. p. 399. D. ubi cf. Ast. Comment. p. 456. Has igitur a sacris choris ad lascivas comissationes rejicit, vetatque in posterum adhiberi. Quod autem in praecedd. vituperatur, *τοὺς αὐλητὰς μὴ συναυλεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτριον, ἀλλὰ τοὺς χόρους συνᾴδειν τοῖς αὐληταῖς*, spectant haec ad tibiarum abusum, quum vehementiore earum sonitu vox obrueretur; ut non, ex antiquo instituto, vocem tibia adjuvare, sed vox potius tibiae adjutrix videretur. Quod reprehendit etiam veteris ille disciplinae vindex, Plato, de Rep. p. 400. A. ubi praecipit, *τὸν πόδα τῷ λόγῳ ἀναγκάζειν ἕπεσθαι καὶ τὸ μέλος, ἀλλα μὴ λόγον ποδί τε καὶ μέλει.* Ex his vero mihi non patet, quod inde collegerunt, citharam tibiamve in canendo antiquitus non praeivisse, sed cantanti demum choro fuisse adhibitam. Contrarium potius videtur cum ex iis, quae modo de propria vi vocis *προοίμιον* vidimus, tum etiam ex aliis locis effici; ut e Pindaro, ubi in Thetidis et Pelei nuptiis Musarum chorum describit, Nem. V. 22 sqq.

πρόφρων δὲ καὶ κείνοις ἄειδ' ἐν Παλίῳ
Μοισᾶν ὁ κάλλιστος χορός· ἐν δὲ μέσαις

φόρ-

Φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων
ἁγεῖτο παντοίων νόμων.

Canebant Musae, Apolline cithara modos praeeunte. Idem in saltando cantandoque fit apud Homerum, loco supra allato, prooem. p. 5. quocum cf. Athen. IV. p. 180. Ejusd. H. in Apoll. 514-517. H. in Merc. 425 sq. Hinc etiam citharam *ματέρ' ὕμνων* vocat Aristoph. cf. quae annotavimus ad Ol. II. pr. Eundem morem expressit Ovidius, ubi Calliopen canentem inducit, Metam. V. 339.

Calliope querulas praetentat pollice chordas;
Atque haec percussis subjungit carmina nervis.

item Horatius Carm. IV. 6. 35. ubi pueris et puellis, saeculare carmen cantaturis, his verbis praecipit:

Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum.

Pollicis ictum dicit τὴν ἀναβολὴν, quando cithara pollice percutiebatur (h. l. ἐλελιζομένα). Hinc facile aliquis hoc ipsum Pindari carmen sibi informet tali modo cantatum, ut, praeeunte cithara, primum et alterum versum solus coryphaeus, deinde hunc et proximos versus, citharam secutus, totus cantaverit chorus. — Haec sunt, quae mihi de ea re quaerenti se obtulerunt; quae nisi omnino probentur, at digna tamen spero futura, quae diligentius perpendantur.

vs. 5. *καὶ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν κ. τ. λ.* Jam in ipsos Deos praecipue vim musicees celebrat. Nota est enim antiquorum opinio, Deorum vim et iram carminibus (ἐπῳδαῖς) sedari; unde illud Ovidii:

Car-

Carmine Di superi placantur, carmine Manes.
Hanc vero sententiam magnifice poëta ornavit. — αἰχματὰν κεραυνὸν ἀενάου πυρός; pro πῦρ ἀέναον αἰχματοῦ κεραυνοῦ, ut recte schol. monuit. Fulmine, ut Jovis telo (βέλει), summi Dei potentia, vis, ira significatur: Ol. XI. (X.) 83 sqq. κελαδητόμεθα βροντὰν καὶ πυρπάλαμον βέλος ὀρσικτύπου Διὸς, ἐν ἅπαντι κράτει αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα. Egregie κεραυνὸς dicitur αἰχματάς, h. e. μάχιμος, κρατερός; epitheton a Jove ipso translatum; ut facit quoque Aeschyl. Prometh. 358 sqq. Similiter κεραυνὸς παμβίας vocatur, Nem. IX. 24. Nam, ut H. in Jovem dicit Cleanthes,

τοῦ γὰρ ὑπὸ πληγῆς Φύσεως πάντ' ἐῤῥίγασιν.

Male interpretari solent *fulmen cuspidatum.* — ἀέναος proprie est *perpetuo fluens*; ut πηγὴ ἀέναος, similia; deinde ad ignem et alia translatum. Similiter ἄσβεστος, quod proprie de igne dicitur, etiam ad aquam transfertur: ut Ὠκεανοῖο ἄσβεστον πόρον, *Oceani flumen perenne.* Aeschyl. Prometh. 532.

vs. 6. εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς κ. τ. λ. Egregium phantasma. Aquila, acerrima illa Jovis custos et armigera cantu demulcetur et consopitur. Pindarum aemulatus videtur Horatius, quum vim musices in inferis ita celebrat, Carm. II. 13. 33.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

Aqui-

Aquilae dormientis imaginem fanequam magnifice Pindarus expresfit. Requiescit illa in Jovis fceptro tanquam nuntia et custos fidelis et dilecta: ut columba illa apud Anacreontem, Od. IX. 33.

κοιμωμένη δ' ἐπ' αὐτῷ
τῷ βαρβίτῳ καθεύδω.

Quod contulit jam Cl. Peerlkamp Obferv. Anacr. Nov. act. litt. Soc. Traj. P. I. p. 144. E Pindaro hoc, ut alia, repraefentasfe videtur Phidias in Olympii Jovis fimulacro. Paufan. V. 11. p. 400. cf. Boeckh. — Διὸς αἰετός (ita enim jung.) est idem, atque αἰετὸς Διὸς ὄρνις, five aliud quid intelligere malis: fimiliter dicitur μοῖρα Διός, τύχη Διός, alia. cf. ad Ol. II. 23. — πτέρυγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις, *alis utriumque remisfis*, fc. a volandi contentione; quo dormientis aquilae quies exprimitur: fimiliter ut apud Horatium I. l. *demittit atras bellua centiceps aures.* ἀρχὸς five βασιλεὺς οἰωνῶν follenne aquilae cognomen. Ol. XIII. 21. Isthm. VI. 48. Aefchyl. Agam. 113. Horat. Carm. IV. 4. init. Homerus Il. Θ. 247. τελειότατον πετεηνῶν vocat.

vs. 7. κελαινῶπιν δ' ἐπὶ οἱ — κατέχευας. Ornate pro: fomnum ei offundis, fomno oculos ejus claudis. κελαινῶπις (h. e. κελαινὴ) νεφέλη de fomni caligine intelligendum: fic κελαινὴ νὺξ pro mortis caligine apud Homerum: ut Il. E. 310.

— ἀμφὶ δ' ὄσσε κελαινὴ νὺξ ἐκάλυψε.

Hanc notionem alia notione auget et amplificat, fomnum vocans γλεφάρων κλαϊστρον (κλεῖθρον); quae vox proprie fignif. *claustrum* five *repagulum:* itaque

que ἀδὺ non temere additum, ad hujus notionis vim molliendam. — *ἀγκύλῳ κρατὶ*, ob rostrum aquilae aduncum. Schol. — *κατέχευας* eleganter de somno dictum: Homer. Od. E. extr.

——— τῷ δ' ἄρ' Ἀθήνη
ὕπνον ἐν ὄμμασι χεῦ' ———
——— φίλα βλέφαρ' ἀμφικαλύψας.

cf. Il. B. 19. H. in Vener. 171. Caeterum schol. verba ita jungit: *κατέχευας ἀδὺ κλαῖθρον (κατὰ) γλεφάρων*, *suave claustrum oculis offudisti*: sic ad praecedd. *ἐπὶ οἱ ἀγκυλῷ κρατὶ*, intelligendum *ἐπέχευας*: quod orationis schema *Zeugma* vocatur a grammaticis. Mihi haec ratio non aspernanda videtur. Et eleganter quidem verbum *καταχεῖν*, aliaque cum hac praepositione composita, genitivum sibi habent adjunctum. Ita Archiloch. XXIV. (Anal. Brunck. T. I. p. 44.) *Amor*, inquit,

πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε.

Plato XIII. (ibid. p. 171.)

σύριγξ
θελγομένων ἄξει κῶμα κατὰ βλεφάρων.

cf. Heusdius V. C. Spec. Crit. in Plat. p. 127. sq. De duplici dativo, *ἐπὶ οἱ κρατί*, vidimus ad Ol. II. 16.

vs. 9. *ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ*, h. e. tergum *suspendit*, *librat*; dormientium avium modo. *νῶτον* dicitur *ὑγρὸν*, i. e. *molle* et veluti *fluidum*, quum plumae leniter moveantur; interprete Boeckhio. Sed paullo fusius de hac voce disserere juvat. Proprie *ὑγρὸν* dicitur id, quod *liquidum* est et *fluidum*: unde *τὰ ξηρὰ καὶ ὑγρὰ* in

cor-

corporibus sibi opponuntur. Deinde significat *flexibile*, *lentum*, *molle*; contrarium est σκληρὸν, *durum*, *rigidum*. Sic de vitis ramis usurpat Simmias Thebanus II. (Anal. Brunck T. I. p. 168.)

ἄμπελος ὑγρὰ πέριξ κλήματα χευαμένη.

Similiter κέρας ὑγρὸν in Theocr. Idyll. XXV. 206. interpr. *arcum flexilem*, *lentum*. Euripides in fr. apud Lucian. T. II. p. 689. Hemst. aetherem dicit γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις, i. e. *terram mollibus brachiis*, sive, ut Cicero vertit, *tenero circumjectu amplectentem*. Eadem ratione in Platon. Symp. p. 196 A. Ἔρως dicitur ὑγρὸς τὸ εἶδος, quod in omnia clanculum sese insinuat. Etiam osculantis puellae labia ὑγρὰ vocantur in Epigr. ἀδεσπ. LV. (Anal. Brunck. T. III. p. 161.) et in Epigr. quae Platonis nomine feruntur, XIV. (ibid. T. I. p. 171). Idem de Legg. VII. p. 789. E. de partu recens nato, et adhuc tenero usurpat. Porro usurpatur quoque de iis, quae rigorem et vim suam amisere: hinc amantium ὑγρὰ ὄμματα, *oculi amore languescentes* dicuntur, Leonid. Tarent. XXXVII. et homines mollitie et luxuria diffluentes, ipsi ὑγροί vocantur. Hesychius: ὑγρός· ὁ εὐκαταφερὴς εἰς ἡδονάς. ubi cf. annot. Eadem ratione Euripides Phoen. 1448. Eteocli semianimi tribuit ὑγρὰν χέρα, i. e. *manum debilem*, ut bene Brunck. interpretatur ad Sophocl. Antig. 1237. Denique a materia etiam ad vocem et sonum transfertur; quo sensu Plato Epigr. VIII. (Anal. Brunck. T. I. p. 170.) ranam praedicat:

ὑγρὸν ἀοιδὸν
τὸν λιβάσιν κούφαις τερπόμενον βάτραχον.

Eodem ſenſu Latini *vocem liquidam*, *cantum fluentem* appellant. Horat. Carm. I. 24. 3. ubi conferatur Mitſcherlich.

VS. 10. τεαῖς ῥιπαῖσι καταπχόμενος. ῥιπαὶ ut mox κῆλα, dicuntur citharae ſoni, quibus aures percutiuntur. cf. Aeſchyl. Agam. 839. Proprie in plurali numero ῥιπαὶ ſignificant *telorum ictus*, ut Nem. I. 68. qua ſignificatione vox reſtituenda fortaſſe in Pantelii Epigr. Anthol. Grot. I. Tit. V. 9. ubi hic Cynaegirum, fortisſimum illum Athenienſum, laudans dicit,

δένδρον δ' ὡς ἔστηκε σιδηρείαις ὑπὸ ῥίζαις,
κοὐκ ἐθέλει πεσέειν. ——

ſed neque ῥίζαι σιδηρείαι valde mihi placent, neque praepoſitio ὑπὸ hoc ſenſu conveniens videtur. Itaque legi malim:

δένδρον δ' ὡς ἔστηκε, σιδηρείαις ὑπὸ ῥιπαῖς.

h. e. *Arboris inſtar ſtetit*, *inter telorum ictus*, *neque ſuccubuit*. σιδηρείαι ῥιπαὶ eodem modo dictum, ut σιδήρειος ὀρυμαγδὸς, *armorum ſtrepitus*. Homer. Il. P. 424. Ad ſimilitudinem cf. Il. N. 437. Earundem vocum confuſione depravatus videtur Euripides, Herc. fur. 933. ubi ita legendum:

—— ὁ δ' οὐκέθ' ωὑτὸς ἦν,
ἀλλ' ἐν στροφαῖσιν ὀμμάτων ἐφθαρμένος,
ῥιπὰς τ' ἐν ὄσσοις αἱματωποὺς ἐκβαλών —

Vulgatum ῥίζας defendit Musgravius, comparans Homer. Od. I. 390. quae tamen non omnino ſunt ſimilia: ut cuivis inſpicienti patebit. Ῥιπαὶ h. l. ſunt

ſunt *oculorum furore et caede ardentium veluti radii:* uti Sophocles παμφεγγεῖς ἄστρων ῥιπὰς dixit, Electr. 105. Etiam verbum, quod apponitur, ἐκβαλών cum hac voce egregie convenit. ἐν ὄσσοις dictum pro ὄσσοις, ut ſaepius apud poëtas; ne quis hoc ſollicitandum putet.

vs. 10. καὶ γὰρ βιατὰς Ἄρης κ. τ. λ. Particulas καὶ γὰρ interpretantur *quin etiam;* idque ſenſus postulat. Proprie autem ellipſis ſubesſe videtur, ad quam referuntur, quae ita posſit ſuppleri: *Nec mirum, Jovis aquilam muſica conſopiri: nam et violentus Mars ea delinitus fovetur ſomno.* Convenienter h. l. Mars βιατὰς dictus, cum illius vis et furor opponatur muſices dulcedini. τραχεῖαν ἐγχέων ἀκμὰν dicit ἔγχη τραχέα ſive τὴν μάχην. cf. annotat. ad Ol. II. 69.

vs. 12. κῆλα δὲ καὶ δαιμόνων κ. τ. λ. Indocte vetus quidam interpres κῆλα per ſynaereſin pro κηλήματα dictum putabat. Immo vero ſunt citharae ſoni et voces, a Muſis et Apolline emisſa: diximus de hoc tropo ad Ol. II. vs. 91. De cantu eleganter ponitur θέλγει; quod verbum proprie uſurpatur de iis, quae divina vel magica quadam vi animum tangunt, emolliunt atque deliniunt. Sic de Mercurii virga Homer. Il. Ω. 343.

——— τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει.

cf. Villoiſon. ad Apollon. Lex. in V. Deinde cum de aliis rebus, quibus animus mulcetur, ut de ſpe, de ſomno, tum praecipue de muſica adhibetur; ita Damaget. V. (Anal. Brunck. T. II. p. 39.) de Orpheo dicit:

καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελξε λύρᾳ.

de ejusdem vatis luctu in Epigr. ἀδεσπ. (ibid. T. II. p. 253.) CCCCLXXXII. haec leguntur:

—— ἐπωδύραντο δὲ πέτραι

καὶ δρύες, ἃς ἐρατῇ τοπρὶν ἔθελγε λύρῃ.

Nec minus eleganter posteriores poëtae de amoris blanditiis et illecebris posuerunt: ut Silentiar. XXIV. (ibid. T. III. p. 8.)

θέλγε δὲ σαῖς χαρίτεσσιν ἐμὴν φρένα.

et saepius. Imprimis cum Pindari dictis comparetur Apollon. Rhod. III. 27. ubi *Amor* dicitur

—— οἷσι βέλεσσι

θέλξαι ὀϊστεύσας ἐπ' Ἰήσονι.

Eandem vim habet verbum κηλεῖν. Vid. e. g. Eurip. Iphig. Aul. 1223. Platon. de Rep. II. p. 358. B. ad q. l. cf. quae annotavit Muretus. Caeterum hic poëtae ob animum versabatur coelestis Musarum et Apollinis chorus, jam ab Homero celebratus (ut notavi in Prooëm. p. 6.), item ab Hesiodo, Scut. Herc. 201 - 206.

vs. 13. ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε κ. τ. λ. Ut musica demulcentur Dii, sic impii ea audita exterrentur. Ductum hoc ex celebrata illa Graecorum sententia, musicam deorum esse donum, hominibus datum, ad animos componendos et morum ferocitatem molliendam: ergo ab impiis et furiosis ea abhorret; unde hi etiam ἄμουσοι dicti a Graecis, ut ab Eurip. Ion. 526.

οὐ φιλῶ φρενοῦν ἀμούσους καὶ μεμηνότας ξένους.

cf. Cl. den Tex, Dissert. de vi music. p. 154.

Trans-

Transitum hac ſententia facit poëta a muſica ad impium Typhonem, ſub Aetna ſepultum. Nihil amplius: ut equidem puto. Boeckhius cenſet, haec ſimul eo conſilio dicta eſſe, ut Hiero moneretur, ne ſeſe muſicis delectationibus ſubtraheret. — ὅσσα, i. e. ὅσους, qua ratione neutrum uſurpari praecipue ſolet, quando univerſe loquuntur. Vid. Thucyd. IV. 19. extr. Xenoph. Cyrop. I. 6. §. 17. Lucian. Epigr. XIV. T. III. p. 678. Hemſt.

Μὴ πταίων, Φίλος εἶ θνητοῖς, Φίλος εἶ μακάρεσσι,
καὶ σου ῥηϊδίως ἔκλυον εὐξαμένου.
ἂν πταίσῃς, οὐδεὶς ἔτι σοι Φίλος, ἀλλ' ἅμα πάντα
ἐχθρὰ, τύχης ῥιπαῖς συμμεταβαλλόμενα.

Similiter Latini; ut in eadem ſententia Ovidius, Trist. I. 4. 27.

Dum juvat et vultu ridet Fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.

cf. Lenting ad Eurip. Med. vs. 16. Cort. ad Salluſt. Jugurth. XIII. §. 6. Quo minus mihi ſollicitandum videtur verbum plurale, quod hic poſt neutrum ſequitur, ἀτύζονται. Haec conſtruendi ratio auctorem jam habet Homerum, Il. B. 135.

καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται.

et alibi. Eadem in Attico ſermone manſit, non ſolum, ubi animalia, (ut ſtatuit Thierſch. in Gramm. Hom. dial. p. 458. d.) ſed etiam ubi inanimata ſignificantur: ut apud Thucyd. II. 8. ubi optimi quidam codd. legunt: καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἔλεγον (al. ἐλέγοντο), πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον. quam lect. vindicavit Poppo, in Obſ. critt. in Thucyd. cap. IX.

in ed. Baver. Londin. Vol. III. p. 442. apud Platon. Legg. I. p. 634. E. *μιᾷ δὲ φωνῇ καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν, ὡς πάντα καλῶς κεῖνται, θέντων θεῶν* ubi non requiri *κεῖται* exemplis demonstravit Ast. Animadv. p. 46. — *γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀμαιμάκετον.* Sic poëtae ornate loquuntur, pro *ubivis.* cf. Nem. VI. 54. Homer. H, in Vener, 5. Aeschyl. Perf. 704.

vs. 15. *ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κ. τ. λ.* *Typhoei* fabula celebratisſima apud antiquos. Vid. Boeckh. h. l. Heynius ad Apollod. I. 6. 3. Not. Part. I. p. 77. ſqq. Mitſcherl. ad Horat. Carm. III. 4. 53. Hujus monſtri una cum Aetna monte memorationem poëtae ſponte offerebat cum loci opportunitas, tum Jovis Aetnaei majestas (cf. vs. 29.): ſic et alibi, quum in rebus Siculis verſatur, Typhoeum memorat. Ol. IV. 7. ſq. Boeckh. Praeclare hac fabula Pindarus more ſuo ſic utitur, ut in Typhonis exemplo diras impietatis poenas ac ſimul terribilem ſummi numinis vim et potentiam cernamus. *Τάρταρος* ſive *τάρταρα* dicuntur imae partes terrae, ſeu terrae viscera. cf. Heſiod. Theog. 841. Virgil. Georg. II. 291. *Κιλίκιον ἄντρον* Typhoei ſedem facit Pindarus; ſimiliter Aeſchyl. Prom. 351. *τὸν γηγενῆ Κιλικίων οἰκήτορα ἄντρων* eum appellat. Intelliguntur Arimi montes, in quibus Typhoeum jacere proſtratum facit Homer. Il. B. 783.

εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

quos montes in Cilicia vel Phrygia, certe in hoc Aſiae tractu quaerendos eſſe ſatis conſtat, quae lo-

ca

ca ſubterraneis quondam ignibus arſere. Multum de Arimorum ſitu disſentiunt veteres, e quibus illi minime audiendi, qui eos in inſulis Pithecuſis collocarunt. Vid. Strabo XIII. p. 929. Euſtath. ad Homer. l. l. p. 346. Steph. Byz. in V. Heſych. VV. ἄριμος et Εἰναρίμοις. ubi cf. intpp. et in primis Heyn. ad Virg. Aen. IX. Exc. II. Igitur eodem loco, quo Homerus Typhonem jacere fingit, Pindarus eum prius degisſe dicit, dein vero, cum a Jove esſet devictus, ſub Aetna eum esſe detruſum: ut jam videbimus.

vs. 18. ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι. "Οχθαι h. l. ſunt γῆς ἀναστήματα, ex interpretatione Apollonii Lex. in V. quam ſignificationem ibi probavit Tollius. Intelliguntur colles et juga, in Cumano vicinoque agro poſita, atque adeo huic urbi imminentia (ὑπὲρ Κύμας), ſive vicina, nec multum a mari remota (ἁλιερκέες). Totus enim hic maritimus tractus et clivoſus et ſulphure plenus fuit, imprimis circa Dicaearchiam ſive Puteolos, Cumanorum emporium. Quam ob causſam Cumanum agrum *Phlegram* dictam esſe (ἀπὸ τοῦ Φλέγειν), antiquitus quidam opinati ſunt; nonnulli etiam Gigantes, Jovis fulminibus profligatos, in his ſedibus poſuerunt. Vid Strabo V. p. 376. ſq. Hac igitur Italiae ora et Sicilia Typhoeum contineri dicit Pindarus; quo ſimul complectitur totum illud maris intervallum, quo haec loca ſeparantur: ibi plures ſunt inſulae, quae antiquitus ſubterraneis ignibus arſerunt, in

 pri-

primis Pithecufae, nota illa Typhonis fedes (cf. Heyne l. l.), et Liparaeae, quae et Ἡφαιςιάδες five *Vulcaniae* dictae, quod ibi ardentes Vulcani officinas pofuerunt: toti igitur huic fubterraneo tractui e Pindari mente fubjectus est Typhon. Ita hunc locum etiam Strabo explicat V. p. 380. Πιθανώτερον δὲ Πίνδαρος εἴρηκεν, ἐκ τῶν Φαινομένων ὁρμηθεὶς, ὅτι πᾶς ὁ πόρος οὗτος, ἀπὸ τῆς Κυμαίας ἀρξάμενος μέχρι τῆς Σικελίας, διάπυρός ἐςι, καὶ κατὰ βάθους ἔχει κοιλίας τινὰς εἰς ἓν συναπτούσας πρός τε ἀλλήλας καὶ πρὸς τὴν ἤπειρον· διόπερ ἥ τε Αἴτνη τοιαύτην ἔχειν δείκνυται Φύσιν, οἵαν ἱςοροῦσιν ἅπαντες, καὶ αἱ τῶν Λιπαραίων νῆσοι, καὶ τὰ περὶ τὴν Δικαιαρχίαν καὶ Νεάπολιν καὶ Βαΐας χωρία καὶ αἱ Πιθηκοῦσαι. Ταῦτ' οὖν διανοηθεὶς, τῷ παντὶ τόπῳ τούτῳ Φησὶν ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα. Νῦν γε μὰν κ. τ. λ. — ὑπὲρ Κύμας in cafu genitivo pofitum, ut monuit Boeckh. Herodot. VI. 105. τὸ Παρθένιον οὖρος, τὸ ὑπὲρ Τεγέης. Κύμη et Κύμαι utroque numero ponitur: fic Ἀθήνη et Ἀθῆναι, Θήβη et Θῆβαι, Πλάταια et Πλαταιαί. cf. Euftath. ad Il. A. p. 119. init. — vs. 19. ςέρνα λαχνάεντα nolim de pectore tantum, ut vulgo faciunt, fed de toto monftro intelligi; alioquin ubi caput, ubi pedes, ubi reliqui artus quaerendi? Nam luxuriatur Ovidii ingenium, quum fingula haec perfequitur, Metam. V. 346. fqq.

Vasta Giganteis ingesta est infula membris; —
Dextra fed Aufonio manus est fubjecta Peloro:
Laeva, Pachyne, tibi: Lilybaeo crura premuntur:
Degravat Aetna caput.

Haec

Haec vero a Pindarico ingenio abhorrent. Ut autem h. l. Typhon, ſic Achilles est στήθεσσι λασίοισι apud Homer. Il. A. 189. Quod male expoſuerunt Graeci magistri, συνετοῖς, φρονίμοις; immo ſunt pectora *hirſuta*, qualia fortem virum et bellicoſum decent.

vs. 19. κίων δ' οὐρανία κ. τ. λ. Sic Aetna appellatur, ſimiliter fere ut Atlas, *coelum qui vertice fulcit.* Virgil. Aen. IV. 247. cf. Boeckh. Idem mons ob perpetuas nives vocatur χιόνος τιθήνα, ut Cithaeron mons χιονοτρόφος dictus, in Eurip Phoen. 809. Similiter quoque in Epigr. ἀδεσπ. CLXXIV. (Anal. Brunck. T. III. p. 184.) Phrygia vocatur θρέπτειρα λεόντων. cf. Mitſcherl. ad Horat. Carm. I. 22. 16. Caeterum ab hac fabula, quod Typho aliusve Gigantum Aetnâ prematur, ductum est proverbium in Eurip. Herc. Fur. 638.

— τὸ δὲ γῆρας αἰεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖται.

unde expresſit Cicero Caton. cap. 2.

vs. 21. τᾶς ἐρεύγονται κ. τ. λ. Celebratisſima est haec Aetnae ardentis deſcriptio, et tam deſcribendi veritate quam dictionis vi inſignis. Comparandi ſunt in primis Aeſchyl. Prom. 365 ſqq. et Virgil. Aen. III. 571 ſqq. Georg. I. 471. add. Silentiar. Analect. Brunck. T. III. p. 95. Aetnae autem eruptio paucis ante annis facta erat, atque recentis adeo erat memoriae: de quo Boeckh. in carminis introd. — ἐρεύγονται, *eructant*; ſolenne hac

in re verbum; quod fortasse rescribendum in Ovid. Metam. l. l.

— *resupinus arenas*
Eructat, flammasque fero vomit ore Typhoeus.

Vulgo *ejectat*, quod cum proximo verbo *vomit* minus congruit. — πυρὸς παγαὶ, i. e. ὁ τοῦ πυρὸς ῥύαξ sive τὸ ῥεῦμα, ut appellat Thucyd. III. 116. cf. Aeschyl. Prom. 110. pro eo mox ornatius dicit 'Αφαίστου κρουνούς. — ἁγνόταται, epith. ut saepe aquae, ita h. l. ignis fluminibus tributum: similiter πάγαι ἁγνορύτων ποταμῶν in Aeschyl. Prom. 434. — ἀπλάτου, h. e. ἀπροσπελάστου, *inaccessi*, *terribilis*: ductum a V. πελάω, πελάζω, contr. πλάω, πλάζω; unde πλατός, πλαστός, et composita ἄπλατος (sive ἄπλητος), ἄπλαστος; quae significatione non differunt. Quamquam de forma πλαστός et ἄπλαστος subinde dubitarunt VV. DD. ut Ruhnken. ad Hesych. pro πλαστά corrigens πλατά; quum illud tamen nitatur Aeschyli auctoritate Eum. 53. ἄπλαστοι occurrit in Hesiod. Theog. 151. Opp. 148. Eurip. Med. 151. al. cf. Lenting ad Eurip. l. l. Pierson. ad Moerid. p. 24. Lugd. Interdum grammatici haec nomina confuderunt cum similibus ἄπληστος et ἄπλητος, quae ducuntur a πλέω sive πίμπλημι: ut schol. Aeschyl. Prom. vs. 371. ἀπλήστου (ἀπλάστου)· διότι τὸ πῦρ — οὐ κορέννυται. et schol. Eurip. Med. l. l. ἀπλάστου· ἀκορέστου. Utramque significationem, ut solet, conjunxisse videtur Hesychius, in quo ita legendum puto: ἄπλητον· ἀπρόσιτον, ἀκόρεστον, μέγα. Vulgo ἀχώριστον vitiose

le-

legitur. Convenit Suidae interpretatio: *ἄπλητος. ἀπλήρωτος.* — *ποταμοὶ προχέοντι ῥόον καπνοῦ.* poëtica verborum ambages pro *ποταμοὶ καπνοῦ προρέοντι.* — *πέτρας φοίνισσα κυλινδ. φλὸξ κ. τ. λ.* h. e. *candentis favillae globi saxa secum volutantes cum strepitu in mare projiciunt.* Similiter de Aetna Virgilius; *saxa sub auras cum gemitu glomerat. πόντου πλάκα* pro maris aequore dixit etiam Aeschyl. Pers. 715. 948. et Arion in carmine, quod exstat in Anal. Brunck. T. III. p. 327. Quod autem Aetna interdiu fumum, noctu flammas et saxa emittere dicitur, id ex oculorum adspectu adumbratum. — *κεῖνο ἑρπετὸν, hoc animal.* Vid. Valcken. ad Theocrit. p. 397. cf. Boeckh. h. l.

vs. 26. *τέρας μὲν θαυμάσιον κ. τ. λ.* Sensus est: Mirabile visu audituque, ut hoc monstrum sub Aetna prematur; quantopere sub Aetna pressum laboret, luctetur. *τέρας*, h. *portentum;* similiter Aeschyl. Prom. 352. Pro *θαυμάσιον ἰδέσθαι* usitatius esset *θαυμ. ἰδεῖν*, similiter ut sq. *ἀκοῦσαι*: activa enim forma in hac dictione solennis est; interdum vero etiam media verbi forma adhibetur: ut Homer. H. in Vener. 90. *θαῦμα ἰδέσθαι.* cf. Heynius. Uti autem h. l. *ἰδέσθαι* et *ἀκοῦσαι* opponuntur, similiter in hac dictione apud Aesch. Pers. 208.

— *ταῦτ' ἔμοι γε δείματ' ἐστ' ἰδεῖν,*
ὑμῖν δ' ἀκούειν.

Reliqua ita jung. ut fecit Schmidius: *οἷον ἐνδέδεται Αἴτνας κορυφαῖς καὶ πέδῳ. Αἴτνας κορυφαὶ* pro monte Typhoni injecto; cui solum (*πέδον*) est substa-

ſtratum. στωμνὰ χαράσσοισα, intell. ſolum aſperum, ſaxis oppletum, in quo ille jacet. Sic in Aeſchyl. Prom. 1019. Mercurius Prometheo minatus, Jovem aſpera rupe illum obruturum, *Pater*, inquit,

κρύψει δέμας
τὸ σὸν, πετραία δ' ἀγκάλη σὲ βαστάσει.

ποτικεκλιμένον, h. ἐγκεκλιμένον.

vs. 29. εἴη, Ζεῦ, τὶν εἴη κ. τ. λ. Diro Typhonis ſupplicio Jovisque majeſtate perculſus, ſponte ad Divini numinis venerationem et preces adducitur. In quo quis veram mentis ſublimitatem non agnoſcat et ſentiat? De Jove *Aetnaeo* vidimus ad Ol. VI. 96. Mons Aetna dicitur εὐκάρποιο γαίας (τῆς Σικελίας) μέτωπον, propter ipſius celſitatem: deſumtum hoc, ut alia multa locorum terrarumque nomina, a corpore humano. Plura exempla praebet Euſtath. ad Il. B. p. 208. lin. 28. ſqq. cf. Klotz. ad Tyrt. p. 55 ſq.

vs. 30. τοῦ μὲν ἐπωνυμίαν πόλιν, nempe *Aetnam*, monti vicinam. cf. Argum. — ἐν δρόμῳ, h. τῇ ἱπποδρομίᾳ — Ἱέρωνος ὑπὲρ καλλινίκου ἅρμ. h. e. *propter Hieronem*, *curuli victoria clarum* ſive *curru victorem*, ut recte Boeckh. ſic ἐν ἅρμασι καλλινίκοις Pyth. XI. 46.

vs. 33—38. ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι — ὀνομαστάν. Comparationis vis haec eſt: ut nautae profecturi, ſecundo flatu orto, laetantur, ex eoque curſum feliciter peractum iri augurantur; ita haec Hieronis victoria, pro Aetnaeorum recens condita civitate

par-

parta, faustum omen praebet futurae quoque ejus gloriae. In his animadvertenda est Pindari ratio, qua in comparando utitur, ut primum id, quod comparatur, absolute et *γνωμικῶς* enunciet; deinde illud ponat, ad quod pertinet comparatio. Conf. e. g. Ol. I. pr. Ol. II. extr. ne plura afferam. Quod ad verba attinet, ea recte junxit Boeckh. hoc ordine: *ναυσιφορήτοις δ' ἀνδράσι πρῶτα χάρις (ἐστὶ), ἀρχομένοις οὖρον πομπαῖον ἐς πλόον ἐλθεῖν.* — *οὖρον πομπαῖον*, *ventum secundum*, simpl. *οὖρον*, pro quo *οὐρίαν πομπὴν* dixit Eurip. — Vox *πομπὴ* de ventorum flatu eleganter usurpatur; ut Nem. VII. 29. *εὐθυπόου Ζεφύροιο πομπαί.*

Sequentia autem sic emendanda proposui:

——— *ἐοικότα γ' ἐν*

καὶ τελευτᾷ φερτέρᾳ νόστου τυχεῖν.

in quibus ne quis offendatur particulâ *ἐν* in fine versus positâ; quod a Pindarica consuetudine non abhorret. Cf. Ol. VI. 53. et quae ibi annotavit Boeckh. in nott. critt. Tmesin vero, quae est in his verbis, *ἐν τελευτᾷ* — *τυχεῖν* (pro *ἐντυχεῖν τελευτᾷ*), hanc, dico, tmesin non aspernatur lyricus; cujus generis quaedam exempla apponam. Ol. VII. 75. *διὰ γαῖαν τρίχα δασσάμενοι πατρωΐαν·* pro *διαδασσάμενοι γαῖαν.* Ol. XIII. 16. *πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον Ὧραι·* pro *ἐνέβαλον καρδίαις.* Pyth. II. 41. *ἐν δ' ἀφύκτοισι γυιοπέδαις πεσών.* Pyth. XI. 14 sq. *Θρασυδαῖος ἔμνασεν ἑστίαν τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῴαν βαλών·* quae verba sic cohaerent: *Θρ. ἔμνασεν ἑστίαν πατρῴαν ἐπιβαλὼν τρίτον στέφανον.* Simi-

militer e Boeckhii emendatione legendum Nem. IX. 33. αἰδὼς γὰρ ὑπὸ κρύφα κέρδει κλέπτεται· pro ὑποκλέπτεται κέρδει. Vulgo ὑπόκρυφα. Illud probarunt quoque viri eruditissimi, Thiersch. et Dissen. ὁ δὲ λόγος—δόξαν φέρει; i. e. si verbum verbo reddas, *ratio affert* sive *inducit opinionem*; quod idem est, ac si dixeris: *rationi consentaneum est credere.* Ita λόγος ponitur pro λογισμός, ut in notissima illa dictione: ὁ λόγος αἱρεῖ. Male interpretatur schol. — στεφάνοισί τε ἵπποις τε, pro ἵππων στεφάνοις, *victoriis curulibus.*

vs. 39. Λύκιε καὶ Δάλου κ. τ. λ. Apollini, tanquam Deo ἐναγωνίῳ et Pythiorum praesidi, vota facit pro Aetnae felicitate. In Deo invocando, honoris caussa, ejus cognomina cumulat: ut solent lyrici et tragici poëtae. *Delum* insulam, Apollinis natalem, ab antiquissimo inde aevo ei sacratam fuisse, ex Homeri et Callimachi hymnis satis notum. In *Lycia* praecipue Pataram habebat civitatem sibi consecratam, et flumen Xanthum. Vide, ne plura memorem, Virgil. Aen. IV. 143. *Castalius* fons Apollini unice dilectus; quem hic eleganter pro Parnasso sive Delphis posuit: ut recte monet Mitscherl. ad Horat. Carm. III. 4. 61 sqq. ubi hic Apollinem ita praedicat:

Qui rore puro Castaliae lavit
Crinis solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.

κράναν Παρνασῷ interpretor τὴν ἐν Παρνησῷ οὖσαν;

quod

quod etsi durius dictum sit, eo tamen potest, opinor, defendi, quod praepositio ἐν etiam ante urbium, terrarum, aliaque nomina saepe supprimitur. Ol. VIII. 83. λιπαρὸν κόσμον (ἐν) Ὀλυμπίᾳ. Pyth. VII. 8. τίνα οἶκον ἐπιφανέστερον Ἑλλάδι. Plutarch. Timoleont. cap. XXIII. ἐπιόντες τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας Ἑλλάδι; ubi tamen alii ἐν τῇ Ἑλλάδι legere malunt. cf. annotat. ad Ol. VI. 47 sqq. — ἵλεῳ. ταῦτα νόῳ τιθέμεν εὐ. τ. χ. i. e. *Propitius curae habeas ea, quae te pro hujus civitatis salute precor!* Male scholiastes νόῳ τιθέμεν ita interpretatur: τῷ σῷ νῷ πράττειν καὶ συμπεραίνειν καὶ εὔανδρον ἀποτελεῖν τὴν χώραν. Accepit nimirum τιθέμεν pro ποιεῖν, sive ἀποτελεῖν, qua significatione nonnunquam ponitur; neque vidit νόῳ τιθέμεν positum esse pro ἐν νόῳ τιθέμεν, *in animo reponere, cordi habere:* quemadmodum ἐν φρεσὶ θέσθαι apud Homer. Il. N. 121. et saepius.

vs. 41. ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ κ. τ. λ. Ex antecedentibus precibus apta est haec sententia. μαχαναὶ sunt proprie *instrumenta* sive ἔργανα; hinc *rei cujusvis perficiendae opportunitates;* quibus adjuvantur hominum ἀρεταί, *artes*, sive quas vulgo appellant *facultates:* ut ingenium, studium, prudentia, alia. cf. Cicero Brut. cap. VI. Cort. ad Sallust. Catil. cap. II. Pergit deinceps: *Diis et sapientia et fortitudo et facundia debetur;* quae artes nimirum ad augendas, firmandas et illustrandas civitates plurimum valent. Haec universe posita praesentibus tamen personis sunt accommodata: cum partim

tim ad Hieronis in rebus gerendis fortitudinem et prudentiam, partim ad ipfius poëtae vocem et facundiam fpectent: quibus dotibus utrumque a Deo praeditum dicit. Hinc ftatim in fqq. Hieronem extollens fuam fimul jactat praeftantiam. Caeterum Boeckhius, cujus vestigia fequor, nimis tamen fubtiliter haec vocabula distinguere videtur. Similis fententia est Ol. IX. 30.

vs. 42. ἄνδρα δ' ἐγὼ κεῖνον — ἀμεύσασθ' ἀντίους. Senfus est: in tali viro laudando fpero me aemulis praeftiturum. Ex quo intelligitur poëtarum in Hierone praedicando fuisfe concertationem: qua de re monui in Prooem. p. 21. not. quo elegantior est tropus, a jaculatorum certamine translatus. Cum *telis* faepius carmina comparant poëtae: ut vidimus ad Ol. II. 91. et 97. — ἄκοντα χαλκοπάραον (χαλκοπάρηον) occurrit etiam Nem. VII. 71. i. e. *jaculum aerata cuspide.* παρηϊον fignificat *genam*, *maxillam*, *os*; inde ad *extremitatem* defignandam ufurpatum est. Ita ab Homero Il. B. 637. Ulysfis naves appellantur μιλτοπάρῃοι, quo fignificantur *prorae rubro colore tinctae.* Simili metaphora ab eodem jacula dicuntur κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ i. e. κατὰ τὸ ἄκρον σεσιδηρωμένα. Il. O. 389. Propius etiam accedit Aefchyli dictum Prometh. 64. ἀδαμαντίνου σφηνὸς αὐθάδη γνάθον, i. e. *improbam ferrei clavi maxillam*; ubi recte Schutz. *maxillam* pro *dente* accipit; quo utitur Virgil. Georg. I. 261.

— *durum procudit arator*
Vomeris obtusi dentem.

Non

Non minus convenit, quod Pindarus Pyth. IV. 24. ἄγκυραν dicit χαλκόγενυν, i. e. *aenea maxilla* five *dente inſtructam;* qua ratione ipſum nomen γένυς pro *ferri acie* uſurpatur: quod cognoſci poteſt ex intp. ad Heſych. in V. Similiter fere corrigendum videtur Pyth. IV. 263.

εἰ γάρ τις ὄζους ὀξυτόμῳ πελέκει
ἐξερείψαι κεν μεγάλας δρυὸς —

ubi vulgo legitur ὀξυτόμῳ, quod, quantum equidem cognovi, uſu caret: illud vero uſitatum et elegans est. cf. Aeſchyl. Prom. 674. Ariſtoph. Av. 244. et quod modo ex Homero attulimus — ἀγῶνος ἔξω; hoc interpretandum de jaculo, non trans finem conſtitutum emisſo, ſed extra limites declinato: παρὰ σκοπὸν. cf. Boeckh. Metaphorice dicitur de iis, quae injusta, rei, tempori, perſonae aliena, et parum apta ſunt. Lucian. Gymn. cap. 21. (T. II. p. 902. Hemſt.) καίτοι ἔξω τοῦ ἀγῶνος ἴσως ταῦτα· οὐ γὰρ ὅπως τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀσκοῦμεν, ἐξ ἀρχῆς προὔκειτο εἰπεῖν. ibid. cap. 19. p. 898. ἢν μέντοι μὴ ἐξαγώνια μηδὲ πόῤῥω τοῦ σκοποῦ τὰ λεγόμενα ᾖ, κωλύσει οὐδὲν, οἶμαι, εἰ καὶ μακρὰ λέγοιτο. Similis dictio, a curuli certamine ducta, occurrit in Aeſchyli Choëph. 1015.

ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστρόφῳ δρόμου
ἐξωτέρω.

cf. ibid. 509. — ἀμεύσασθ' ἀντίους ſchol. interpretatur παρελθεῖν καὶ νικῆσαι τοὺς ἐναντίους.

vs. 46. εἰ γὰρ ὁ πᾶς χρόνος κ. τ. λ. Poëta, in mentem ſibi revocata Hieronis potentia et ſplen-

 do-

dore, perpetuam optat hanc felicitatem. εἰ γὰρ, i. e. *utinam*, ut Nem. VII. 98. et alibi faepius. Vid. Boeckh. et Lenting. ad Eurip. Med. v. 424. ὄλβον καὶ κτεάνων δόσιν; intell. opes, victorias, res bene gestas, fimilia. καμάτοι autem funt labores, quibus et in aliis rebus, et maxime in bellis gerendis, erat conflictatus. — Particulam οὕτω Boeckhius hic optandi vim habere putat; fed hoc fenfu initio fententiae, loco τοῦ εἰ γὰρ, ponendum fuerat. Exempla praebet Matthiae Gramm. Gr. pag. 720. Mihi οὕτω hanc vim habere videtur: *ita, ut adhuc fortunam faventem expertus est.*

vs. 47. ἦ κεν ἀμνάσειεν κ. τ. λ. Jam memorat fortunam, qua Hiero in re gerenda et olim et nuper fuerat adjutus. Ante V. ἀμνάσειεν repetunt ex antecedenti verfu, ὁ χρόνος; quod tamen durius mihi videtur. Rectius, opinor, intelligatur perfona indefinita τις, quae in tertia verbi perfona faepe latet; qua ratione fecundam perfonam Latini ponunt. Ita Sophocl. Oedip. Reg. 314. fq.

ἄνδρα δ' ὠφελεῖν, ἀφ' ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνων.

quae latine fic vertas: *hominem juvare, quantum posfis, pulcerrimus est labor.* cf. Ast. Comment. ad Platon. de Rep. II. 17. pag. 430. — εὑρίσκοντο, nempe *Hiero cum fuis fratribus, propinquis, amicis.* Notanda est numeri permutatio in verbis παρέμεινε et εὑρίσκοντο, cum utrumque ad Hieronem pertineat. Quod multi vitiofum putant. Atqui fimile exemplum occurrit Nem. VII. 36. fq.

ὁ δ' ἀποπλέων

Σκύρου μὲν ἅμαρτε, πλαγχθέντες δ' εἰς Ἐφύραν ἵκοντο.
ubi de Neoptolemo agitur. Aliud exemplum attulit ibi Dissen. ex Homero Od. Δ. 520. ubi hic de Agamemnone loquens, dicit:

οἴκαδ' ἵκοιτο·

ἤτοι ὁ μὲν χαίρων ἐπεβήσετο πατρίδος αἴης.

τιμὰν dicit *imperium*, multis bellis ab Hierone partum et amplificatum. cf. Boeckh. θεῶν παλάμαις, h. e. μαχαναῖς, ut notat Hesych. cf. Ol. IX. 28. Convenit illud Homericum: τιμὴ ἐκ Διός ἐστι. — δρέπει, verbum poëticum, pro vulgari δρέπεται, i. e. ἔχει. Eleganter τιμὰ vocatur πλούτου στεφάνωμα, *divitiarum corona* sive *ornamentum*: qua metaphora etiam usus est Cicero, Caton. cap. 17. ubi *auctoritas* dicitur *apex senectutis*. cf. annot. ad Ol. II. p. 70.

vs. 50—57. νῦν γε μὰν τὰν Φιλοκτ. κ. τ. λ. Agitur de bello nuper ab Hierone gesto, in quo hunc regem cum Philocteta comparat poëta. Qua in re posita sit similitudo, declaratur verbis: σὺν δ' ἀνάγκᾳ μιν (τὸν Ἱέρωνα) φίλον καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν. Deinceps Philoctetae fabulam enarrat. Loci igitur sensus hic est: Nunc bellum gessit Hiero, Philoctetae instar, a nonnemine etiam superbiore blandis precibus in auxilium vocatus: narrant enim Philoctetam, a principibus Graecis placatum, auxilio venisse Graecis, et Trojae expugnandae fuisse auctorem: cum sic esset a fato destinatum. — Denique optat, ut in posterum eadem semper fortu-

rae benignitate Hiero floreat. Quodnam bellum hic significetur, dubitant. Sed temporis ratio postulare videtur (id quod Boeckh. vidit), ut bellum intelligatur pro Cumaeis gestum, quibus implorantibus opem adversus Etruscos tulit; quos gravi proelio devicit, et metu liberavit Cumaeos. Diodor. Sic. XI. 51. In his rebus satis inerat, cur Hiero cum Philocteta compararetur. Potuerunt etiam Cumaei *μεγαλάνορες* esse, quippe opibus et divitiis pollentes; neque opus est, ut *μεγαλάνωρ τις* de uno homine interpretere. cf. Pyth: II. 51. Quod autem ex hac comparatione Hieronem morbo laborantem faciunt, hoc equidem cum Heynio rejiciendum puto, cum e poëtae verbis non efficiatur. Nam quod vs. 55. de Philocteta dicit: *ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων· ἀλλὰ μοιρίδιον ἦν·* hoc unice ad Philoctetae fabulam pertinet; ad Hieronem vero non est transferendum: nisi ideo additum est, ut intelligatur non humana virtute, sed divino numine omnia geri: quare etiam statim pro Hierone Deum invocat: *οὕτω δ' Ἱέρωνι θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι.* Jam, totius loci sensu explicito, singula persequamur.

vs. 50. *τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων;* poëtice pro *ἐφεπόμενος*, ut vidimus jam Ol. II. vs. 11. Pro hoc vulgari ratione simpliciter posuisset *Φιλοκτήταο δικάν*, *Philoctetae instar.* *μιν φίλον—ἔσαναν;* Graeca dictio, cujus haec vis est: *Hieronem aliquis adulando amicum sibi reddere studuit.* Hoc sensu duplex accusativus pluribus verbis subjungitur a Graecis; e. g. verbo *διδάσκειν*: ut in celebrato illo versiculo:

μου

μουσικὸν δ' ἄρα

Ἔρως (τινὰ) διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

quod tractavit Valckenaer. Diatr. Eurip. pag. 205. sq. Accurate de hujus verbi usu egit Hemsterh. ad Aristoph. Plut. pag. 4. cum quo verbo, ut significatione, ita usu conveniunt verba παιδεύειν et τρέφειν. Similiter usurpatur αὔξειν. Pindarus Nem. VI. (VII.) 29. ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων. Plato de Rep. VIII. p. 565. C. οὐκοῦν ἕνα τινὰ ἀεὶ ὁ δῆμος εἴωθε — τρέφειν τε καὶ αὔξειν μέγαν; item verbum αἴρειν. Aeschyl. Choëph. 492. et 793. αἴρειν τινὰ μέγαν, h. e. *extollendo aliquem augere.* Postremo multae aliae locutiones hac ratione sunt explicandae, e quibus duo adhuc afferam exempla, quae cum hoc Pindarico maxime conveniunt, alterum ex Aeschyli Agam. 1248. ubi chorus Cassandrae mala vaticinanti dicit:

εὔφημον, ὦ τάλαινα, κοίμησον στόμα.

quod ita vertit Schutzius: *Male ominata verba fundentem linguam, o misera, coërce.* Parum accurate; potius sic vertas: *Linguam demulcens, sive coërcens, o misera, faustam redde!* i. e. *Bona verba loquere!* Alterum exemplum praebet Pindarus Nem. V. 37. ubi Peleo promittit Jupiter, se ei unam e Nereidibus in matrimonium daturum, γαμβρὸν Ποσειδάωνα πείσαις, i. e. *postquam persuadendo studuisset Neptunum ei affinem reddere.*

vs. 52. μεταλλάσσοντας. Vetus haeret in hoc verbo corruptela, et vereor, ut adhuc ab interpretibus in in-

tegrum ſit restitutum. Hermannus conj. *μέτα λύσοντας ἐλθεῖν*; quod facilius probares, ſi Pindarus pro *Λαμνόθεν* ſcripſisſet *εἰς Λάμνον*; ut ſenſus hic esſet: *Ferunt principes heroës in Lemnum profectos ad eum, ut liberarent.* Boeckhius recepit *μεταμείβοντας*, cujus verbi glosſema ſtatuit vulgatum *μεταλλάσσοντας*; quod ea verba permutentur in glosſis; interpretatur autem *arcesſituros* ſive *repetituros*; quod ſane optime quadrat. Itaque nullus equidem dubitasſem Boeckhii lectionem ſequi, modo de hac verbi ſignificatione mihi conſtaret. Nam *μεταμείβειν* ſive *μεταμείβεσθαι* (uti ſimplex *ἀμείβειν*) ſignificat *permutare* (Ol. XII. 12. Pyth. III. 96.) vel, media vi, *alternare* (Nem. X. 55.); quam ſignificationem habet etiam glosſa *μεταλλάσσειν*: unde Boeckh. audacius effinxisſe videtur *transferendi*, *repetendi*, *arcesſendi* notionem. Potius, opinor, *μεταμείβοντας* (*αὐτόν*) interpretandum esſet *adeuntes* ſive *vehentes ad eum*; ſimiliter ut *ἀμείβειν* et *διαμείβειν* pro *praetervehi* ponitur: atqui tum rurſus pro *Λαμνόθεν* requiras *εἰς Λάμνον*. Lubricum est in talibus locis quid periclitari; ſi tamen ſit periclitandum, legendum conjicio:

— *φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον μετὰ λίσσοντας ἐλθεῖν*
ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν.

hoc ſenſu: *Ferunt Philoctetam vulnere afflictum e Lemno ad Graecorum heroës venisſe ſupplicantes.* De forma *λίσσω* pro *λίσσομαι*, cf. Alberti ad Heſych. V. *λίσσει*. Antitheſeos vim in verbis *ἥρωας ἀντιθέους* et *Ποίαντος υἱὸν*, *τοξόταν* facile quisque ſentiat. — vs.

55.

5. ἀσθενεῖ μεν χρωτὶ βαίνων, ornate pro ἀσθενὴς μὲν ὤν. — μοιρίδιον ἦν. Erat enim Danais oraculum, non posse capi Trojam, fine Philoctetae sagittis. Vid. Sophocl. Philoct. 627. sqq. Eurip. in ejusdem fabulae rell. apud Valcken. Diatr. Eurip. pag. 120.

vs. 56. οὕτω δ' Ἱέρωνι κ. τ. λ. Repetit idem votum, quod habuimus vs. 46. θεὸς ὀρθωτὴρ est, *qui res servat, tuetur et auget*: nam ὀρθοῦν proprie notat *erigere*; deinde *firmare*, *potentem reddere*: ut Nem. I. 15. Σικελίαν ὀρθώσειν κορυφαῖς πολίων. i. e. *Siciliam urbibus potentem reddere.* Scol. (Anal. Brunck. T. I. p. 156.) IX.

ἄνασσ' Ἀθηνᾶ, ὄρθου τήνδε πόλιν.

Hoc sensu eleganter ὀρθοῦσθαι et σφάλλεσθαι sibi opponuntur in Periclis oratione apud Thucyd. II. 60. Eadem ratione Jupiter *stator* dictus a Romanis; i. e. qui imperium dilabi non patitur, sed firmum servat et stabile. Cicer. Catil. I. extr. Senec. de Benef. IV. 7. — καιρὸν dicit *portionem opportunam* sive *facultatem.* cf. supra ad Ol. II. p. 97.

vs. 58. Μοῖσα, καὶ πὰρ Δεινομένει κ. τ. λ. Ab Hierone poëta se vertit ad filium ejus Dinomenem, paternae gloriae socium. Huic recens conditam civitatem Aetnam pater suis auspiciis moderandam tradiderat: ut e sqq. patebit. Quamobrem quae in Dinomenis gratiam Pindarus profert, ad hanc civitatem praecipue pertinent. — Ante ποινὰν τεθρ. comma posui, quod hoc non a V. κελαδῆσαι pendet, sed absolute positum est. Haud equidem ne-

go, a lyrico dici posſe κελαδεῖν ποινὰν τεθρίππων; quum ſimilitur fere dicatur Ol. X. (XI.) 13.

κόσμον ἐπὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας
ἀδυμελῆ κελαδήσω.

esſet igitur hoc idem, ac ſi diceret ὕμνον τῆς νίκης ᾄδειν. Atqui alia est hujus loci ſententia. Non enim dicit Pindarus, ſe coram Dinomene patris victoriam celebraturum; ſed hoc dicit: *Etiam Dinomenem cantu celebremus, propter victoriam patris.* Ergo κελαδεῖν abſolute poſitum est, ut Pyth. II. 63. et ποινὰν τεθρίππων interpretandum εἰς ποινὰν, ſive ὃ εἴη ποινὰ τεθρίππων. Sic Pyth. XI. 10. ſqq.

γᾶς ὀμφαλὸν κελαδήσετ', —
ἑπταπύλοισι Θήβαις
χάριν ἀγῶνί τε Κίῤῥας.

Ol. XI. (X.) 81. ſqq. ad q. l. cf. Boeckh. et Matth. Gramm. Gr. §. 432. 4. Ita accepit etiam ſchol. — Deinceps, Muſa invocata, ſemetipſum incitat ad celebrandum Dinomenem: ἄγ' ἔπειτ'. i. e. *age igitur;* quam vim ſaepius haec particula habet.

vs. 61. τῷ πόλιν κεῖναν θεοδμάτῳ κ. τ. λ. Hoc verſu et ſequenti declaratur paucis, qua ratione Aetnaeorum civitas erat conſtituta. Nova haec colonia cum e Dorienſibus esſet conflata (Diodor. Sic. IX. 49. et ſchol. h. l.), Dorica inſtituta iis relicta erant ab Hierone: quo memorato, laudat deinceps univerſe Dorienſium in majorum inſtitutis ſervandis conſtantiam. — *Dorica inſtituta* dicuntur Ὑλλίδος στάθμας νόμοι; eadem mox τεθμοὶ Αἰγιμιοῦ vocantur. Similiter Isthm. fragm. IV. p. 559. ed. Boeckh. de Aegina dicit:

σὺν

σὺν θεῶν δέ νιν αἴσᾳ
Ὕλλου τε καὶ Αἰγιμιοῦ
Δωριεὺς ἐλθὼν στρατὸς ἐκτίσσατο·
τῶν μὲν ὑπὸ στάθμᾳ νέμονται.

Pervagatissimum est utriusque nomen. *Hyllus* Herculis f. qui, quamquam frustra, princeps tamen conatus est Heraclidas in Peloponnesum reducere. Vid. Simson. ad a. 2801. 4. Meurs. Regn. Lacon. cap. VII. Heyne Observ. ad Apollodor. II. 8. §. 2. Larcher. Chronol. Herod. T. VII. p. 469. sqq. ed. alterius. Scholiastes h. l. de Hyllo dicit: ἐβασίλευσε (τῶν Δωριέων) τῶν περὶ Ἰταλίαν οἰκησάντων: mirum quam inepte, nisi pro Ἰταλίαν legas Θετταλίαν. Sic enim quamvis a communi narratione recedat, possit tamen intelligi. Narrant enim vulgo Aegimium, Doriensium, qui in Hestiaeotide Thessaliae habitabant, regem, ab Hercule adjutum, ei partem regni obtulisse praemium: narrant item Hyllum ab Aegimio fuisse adoptatum: a quo ipso regnum ei fuisse traditum, refert Strabo IX. p. 654. A. quamquam in hoc a ceteris scriptoribus diversus. cf. Heyne, Nott. ad Apollod. II. 7. §. 7. p. 477. ed. pr. Ex quo tamen fit probabile, fuisse, qui Hyllum ibi regem facerent. — Haec autem Doriensium civitatum ratio erat talis, quae ex regio et populari imperio mixta esset et temperata: quam laudat Plato de Legg. III. p. 693. E. — θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ, h. e. θείᾳ ἐλευθερίᾳ. cf. ad Ol. II. vs. 39. sq. quam libertatem nisi veram (quod

vix credibile est), adumbratam tamen fuisse intelligas. Neque regis nomen a Doricis civitatibus alienum. cf. Boeckh. — Porro *Dorienses*, cum quibus coaluerant *Heraclidae*, dicuntur Παμφύλου καὶ Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι. ad quae verba haec annotat scholiastes: Πάμφυλος καὶ Δύμας, Δωριεῖς, υἱοὶ Αἰγιμιοῦ, ἀφ' ὧν Παμφυλὶς καὶ Δυμανὶς φυλαὶ ἐν Λακεδαίμονι ubi Δωριεῖς pro vulgato καὶ Δῶρος rescribendum esse docuit Hemsterh. ad schol. Aristoph. Plut. p. 114. Erant adeo hi una cum patre inter principes Doricae stirpis auctores, aequales Hylli, quocum eos interfuisse Heraclidarum expeditioni, probabile est. Nam parum accurate retulisse videtur Apollodorus, II. 8. §. 3. extr. qui eos postremae demum Heraclidarum invasioni una cum Aristodemo et ceteris interfuisse dicit, dum Tisamenes Orestis f. in Peloponneso regnaret. Quae expeditio C ferme annos post Hyllum facta videtur. Nisi forte hunc etiam ad Tisamenis aetatem velis referre, prouti fit in Apollodoro, qualis quidem nunc est; atqui hoc rerum et temporum ordini repugnat: ut docuit Heyne, Nott. ad Apollod. II. 8. §. 2. p. 503. sq. e quibus etiam apparet, haec tempora mirifice esse perturbata, quod in tam remota et fabulosa aetate vix potuit aliter fieri. — Igitur Παμφύλου ἔκγονοι sunt *Dorienses*; *Heraclidae* autem dicuntur ἔκγονοι Ἡρακλειδᾶν, i. e. Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέος υἱοῦ. de qua dicendi ratione monuimus ad Ol. II. vs. 49. Eosdem Pyth. V. 71 sq. vocat Ἡρακλέος ἐκ-

ἐκγόνους Αἰγιμιοῦ τε. — ὄχθαις ὕπο Ταϋγέτου ναίοντες, h. e. *in Laconia habitantes;* cui regioni imminebat *Taygetus*, altissimus Peloponnesi mons (cf. Strabo VIII. p. 557. C. sq.). Lacedaemonios autem, ut nobilissimam gentem, memorat pro Peloponnesiis; quibus laudandis simul Aetnaeorum, qui inde profecti erant coloni, gloriae consuluit. Minus recte hoc interpretati videntur Heynius et Gedikius.

vs. 65. ἔσχον δ' Ἀμύκλας κ. τ. λ. Commemoratio haec pristinae Doriensium sedis et migrationis in Peloponnesum sponte ex Hylli et reliquorum mentione nata est, neque poterat ob vetustatis memoriam non grata esse Aetnaeis. Πινδόθεν ὀρνύμενοι; circa hunc montem Dorienses, antequam in Peloponnesum descenderent, aliquandiu etiam fuerant commorati. Plura commemoravit Boeckh. h. l. et Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 115 sqq. Deinde in Laconicam traducti, cum reliquas ibi occuparunt civitates, tum etiam *Amyclas:* quam urbem ideo memorasse videtur Pindarus, quod et antiquitus et illustris et potens fuit: ut patet cum e sacrorum monumentis, quae ibi supererant, tum ex eo, quod haec civitas ferebatur fortissime Doriensibus restitisse; qui adeo ejus expugnatione maxime gloriabantur. Vid. Pausan. III. p. 208. et p. 254 sqq. Eaedem memorantur in simili loco Isthm. VI. (VII.) 14. cf. Meurs. Misc. Lacon. IV. 2 et 3. Müllerus, a Boeckhio citatus, conjecit Amyclas, non Spartam, principem quondam Achaeo-

Achaeorum fuisse civitatem, quae Lacedaemon dicta sit. Quod probat etiam Dissenius in Explic. ad Nem. XI. 33 sqq. Mihi liber ad manum non est. Τυνδαριδᾶν γείτονες; hi enim Therapnae, in Amyclarum vicinia, habitare ferebantur ac praecipue honorabantur. cf. Boeckh. Tyndaridae autem vocantur λευκοπῶλοι, quod solenne eorum insigne: ut notavit Davis. ad Cicer. de N. D. II. 2. hujus etiam loci non oblitus.

vs. 67. Ζεῦ τέλει', αἰεὶ δὲ — ἔτυμ. λόγον ἀνθρώπων. Sententiam verborum ordine paullum impeditam dilucide explicuit Boeckh. e cujus mente verba hoc ordine disponenda: Ζεῦ τελεῖε, (δὸς) ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων διακρίνειν αἰεὶ τοιαύταν αἶσαν ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσι παρ' Ἀμένα ὕδωρ. Quam sententiam paullo immutatis verbis ita enunties: δὸς τοὺς ἀνθρώπους ἀληθεῖ λόγῳ διακρίνειν αἰεὶ καὶ προστιθέναι τοιαύτην αἶσαν τοῖς Αἴτνης ἀστοῖς καὶ βασιλεῦσιν. *Praesta*, inquit, *o Jupiter, ut semper homines talem* (firmitatis et tranquillitatis) *sortem* (qualis illis obtigit) *Aetnaeorum civitati vere adjudicent!* Infinitivus in precando et optando saepius ponitur a Graecis. Aeschyl. Choëph. 303 sqq.

ἀλλ', ὦ μεγάλαι Μοῖραι, Διόθεν
τῇδε τελευτᾶν,
ᾗ τὸ δίκαιον μεταβαίνει.

Plura ejus generis exempla attulit Matthiae Gramm. Gr. §. 547. cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. XIII. 109. p. 428. — *Amenas* fluvius, vulgo *Amenanus* dic-

dictus, Aetnam five Catanam urbem perfluebat. Vid. Cluver. Sic. ant. p. 142 fq.

vs. 67. Ζεῦ τέλει'. Hujus cognominis rationem cum nondum plane expofitam viderim, locus postulat, ut nos nostra opinione illud explicemus. Τέλειος ductum a τέλος, quod a latiore *ordinis* notione ad *dignitatem*, *auctoritatem*, *principatum* notandum traductum est. Inde magistratus et viri principes, οἱ ἐν ἀξιώματι, dicuntur οἱ ἐν τέλει ὄντες, five τὰ τέλη; quod illustratum est a Wesfelingio et Valckenaerio ad Herod. IX. 106. et Dukero ad Thucyd. I. 58. Quod fi ad Deos transferamus, Dii τέλειοι ii videntur dicti, qui dignitate et honore in primis habebantur infignes, et quorum numen tanquam praefens colebant. Sic in Aefchyl. Sept. adv. Theb. 152. θεοὶ τέλειοι τέλειαί τε vocantur Jupiter, Apollo, Diana, aliique Dii, qui civitatem praecipue tuebantur. Eximie vero Jupiter, ob potentiam fummam et providentiam, τέλειος vocatus: in quo cognomine varie interpretando delectatur Aefchylus: ut modo a *perficiendo*, modo *ab abfoluta atque perfecta potentia* dictus videatur. Agam. 973.

Ζεῦ, Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει.

cui verfui respondet Suppl. vs. 825.

— τί δ' ἄνευ σέθεν
θνατοῖς τέλειόν ἐστι;

Idem vero Sept. adv. Theb. 111. vocatur παντελής (h. e. παναλκής. ibid. 151.); et Suppl. 528. τελέων τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ, i. e. *fummam com-*

plens

plens potentiam. In Orph. Hymn. LIX. 18. Δίκη ὄμμα τέλειον dicitur, quod eum nil fugit. Aristid. in Iovem, extr. T. I. pag. 8. ed. Jebb. ἀπὸ τούτου ἄρχεσθαι χρὴ καὶ τελευτᾷν ἐς τοῦτον, παντὸς λόγου καὶ πάσης πράξεως ἡγέμονα καὶ βοηθὸν καλοῦντας, ὥσπερ εἰκὸς τὸν ἁπάντων κρατοῦντα ἀρχηγέτην, καὶ τέλειον μόνον αὐτὸν ὄντα τῶν πάντων. quae postrema sic verto: *qui cunctis imperat auctor, et unus inter omnes infinita et absoluta est potentia.* Ridicule θεοὺς τελείους nominat Lucian. in Iove Trag. Cap. XVIII. ubi consulendus Solanus (T. II. p. 662. Hemst.). Minus rectam nominis rationem dare videtur Hesychius et Spanhem. Obs. ad Callim. Pallad. p. 725. et 728. sq. Cf. Boeckh. Nott. critt. ad Ol. XIII. p. 427. Alia ratione τέλειοι dicebantur dii, in quorum auspiciis nuptiae erant, praecipue Jupiter et Juno: de qua significatione exposuit Suidas in V. τέλεια. et praecipue Ruhnken. ad Tim. Lex. V. προτέλεια.

vs. 69. σύν τοι τίν κεν ἁγητὴρ κ. τ. λ. Verborum ordo et sonus paullo quidem durior; at neutrum nimis studiose refugit lyricus. σύν τιν, i. e. *tua ope*; ut solenne illud, σὺν θεῷ. Mox in verbis υἱῷ τ' ἐπιτελλόμενος, particula τε si abesset, nemo magnopere desideraret. Neque tamen ita redundat, ut explicari nequeat. Vis ejus haec est: *Tua ope Hiero, filio utique mandans* (sive, *et quidem per filium*), *tranquille regat civitatem.* — Eleganter ἡσυχία vocatur σύμφωνος, qua universi cives veluti ad concentum rediguntur. Sic Plato de Rep. IV. 430.

430. E. τὴν σωφροσύνην facit συμφωνίᾳ τινι καὶ ἁρμονίᾳ ſimilem; et ibid. 442. C. dicit eam cerni τῇ φιλίᾳ καὶ ξυμφωνίᾳ τῶν αὐτῶν τούτων (τῶν μερέων), ὅταν τό τε ἄρχον καὶ τὼ ἀρχομένω ὁμοδοξῶσι. Pluribus vocabulis Graeci utuntur a muſica translatis, quorum quanta vis ſit, praecipue in Pythagoreorum et Platonis ſcriptis, nemo ignorat. Multa ſatis collegit Cl. den Tex in Disput. laud. p. 153—157.

vs. 71. ἅμερον ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοίνιξ κ. τ. λ. Jam, votis factis pro domestica civitatis tranquillitate, externam pacem et quietem ab hostibus implorat; ſimul bellicae Hieronis ejusque fratrum virtutis et rerum gestarum memoriam excitat. Verba ita cohaerent: ὄφρα ἅμερον οἶκον κατέχῃ κ. τ. λ. *ut domum teneat tranquillam*, i. e. *ut tranquillus domi maneat.* — ὁ Φοίνιξ, *Poenus*; uſitato nomine. cf. Boeckh. — ὁ Τυρσανῶν ἀλαλατὸς, ornate pro οἱ Τυρσανοί, ob bellicum eorum tumultum: prouti Διὸς κράτος ponitur pro Ζεύς, ob numinis potentiam: cujus generis quaedam attulimus exempla ad Ol. VI. p. 161. Hi ab Hierone nuper Cumana clade fuerant perculſi, ut modo vidimus ad vs. 50. In quo bello cum Tyrrhenis junctos fuiſſe Poenos, e Pindari verbis fere colligas, ut fecit ſcholiastes; ſed hoc parum liquet, etſi non omnino improbabile videtur, cum utrique et foedera inter ſe ſaepius junxerint (teste Aristot. Polit. III. 9. Opp. T. III. p. 464. C. D. Paris.), et aeque infesto utrique animo adverſus Graecos fuerint. cf. Herodot. I. 166.

Si-

Similes preces pro Aetnae tranquillitate et incolumitate facit Nem. IX. 28. ſqq.

εἰ δυνατὸν, Κρονίων, πεῖραν μὲν ἀγάνορα Φοινικοςόλων
ἐγχέων ταύταν θανάτου περὶ καὶ ζωᾶς ἀναβάλλομαι
ὡς πόρσιςα, μοῖραν δ' εὔνομον
αἰτέω σε παισὶν δαρὸν Αἰτναίων ὀπάζειν,
Ζεῦ πάτερ —

in quo loco pro *ἀναβάλλομαι* praeferrem *ἀναβαλλέμεν*, quod penderet a ſequenti verbo *αἰτέω*, ſimiliter ut proximum *ὀπάζειν*, et quae deinceps ſequuntur. In qua verborum conſecutione ne quis offendat, ſimile apponam exemplum ex Aeſchyli Eum. 609.

τὸ μὲν δίκαιον τοῦδ', ὅσον σθένει, μαθεῖν,
βουλῇ πιφαύσκω δ' ὔμμ' ἐπίσπεσθαι πατρός.

vs. 72. *ὕβριν ναυσίςονον*, h. e. *ταῖς ναῦσι ςόνον ἐπιφέρουσαν*. Vox, quamvis aliunde non cognita, ratione tamen non caret: ſic *αὔρα ναυσίπομπος* dicitur *ventus ſecundus*, *ταῖς ναῦσι πομπὴν ἐπιφέρουσα*. in Eurip. Phoen. 1706. Mallem tamen, ut dixi, leviſſima unius literulae mutatione refingere *ὕβριν ναυσίςολον* (h. *ναύςολον*), quod poëtice dictum pro *ὕβριν ναυτικήν*. Nomen hoc, una cum derivatis, *ναυςολία*, *ναυςολεῖν*, non ignotum poëtis. Similiter fere Aeſchyl. Sept. c. Th. 842. *ναύςολον θεωρίδα* vocat inferorum *cymbam*, vel, quae magis convenit interpretatio, *trajectum navalem* (*τὸν πόρον*)ſ, quo ad inferos pervehebantur. Locum hunc, quem laudat Thom. Mag. V. *θεωρός*, p. 446. immerito mutaſſe vi-

videtur Schutz. Similiter etiam in Pindari loco modo allato, *Punica arma* dicuntur ἔγχη Φοινικόστολα. Ne autem aliquis in forma ναυσίστολος, pro usitata ναύστολος, offendat, animadvertendum, hanc ipsam ex illa natam esse. Ita ναυσίπορος et ναύπορος, ναυσίποδες et ναύποδες, ἐγχεσίπαλλος et ἐγχέσπαλος inter se commutantur; ut notarunt grammatici.

vs. 73. οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ κ. τ. λ. Haec ad praecedentem cladem referenda patet. Pro οἷα grammaticorum ratio requirit οἵαν, ut cum proximo ὕβριν conveniat; nisi potius ita explicandum: *Memores sint cladis Cumanae, meminerint, qualia ibi ab Hierone passi sint*. Saepius οἷα neutro genere ita ponitur, ubi nomen singulari numero praecessit. Homer. H. in Merc. 66.

ὁρμαίνων δόλον αἰπὺν ἐνὶ φρεσίν, οἷά τε φῶτες
φηληταὶ διέπουσι μελαίνης νυκτὸς ἐν ὥρῃ.

Pind. Pyth. VI. 20 sq. ad q. l. cf. Boeckh. in Nott. critt. et idem in Explicatt. ad Ol. I. pag. 105. — ἁλικίαν, i. e. τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ὄντας, qui sunt juventatis flore; de qua significatione vid. Aeschinis Indic. Fischer. Similiter in Stratonis Epigr. (Anal. Brunck. T. II. p. 368). XX. ἡλικίης φίλος εἰμί. — Ἑλλάδα magnifice pro parte Graecorum, nominatim Cumaeis dixit. Similiter fere Pyth. XII. 6. Midam victorem in Pythiis dicit Ἑλλάδα νικάσαντα τέχνᾳ. Nam perperam nonnulli, ut scholiastae et Gedikius, haec ad Himerensem pugnam, qua Carthaginienses profligati sunt, retulerunt: quos merito reprehendit Boeckhius.

vs. 75. ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος κ. τ. λ. Post

O Cu-

Cumanam Hieronis victoriam memorat etiam Himerenſe nobile illud proelium, quo Gelo Carthaginienſes, cummunem Graeciae hoſtem, devicerat: quod factum eodem fere tempore atque, ut Herodotus tradit, eodem die, quo Perſae ad Salaminem fuſi erant ab Athenienſibus. Res nota eſt. Tanti haec victoria fuit, ut Ephorus, a ſchol. citatus, dicat, Gelonem eâ μὴ μόνον τοὺς Σικελιώτας ἐλευθερῶσαι, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἑλλάδα σύμπασαν. Quocirca cum Salaminia et Plataeenſi victoria merito Himerenſis poterat comparari. cf. Diodor. Sic. XI. 23. T. I. pag. 421. — ἀρέομαι (ἀρεῦμαι) πὰρ μὲν Σαλαμ. Ἀθαν. χ. μισθόν; h. e. *tollam mihi ex Salaminio proelio Athenienſium gratiam mercedem:* ut interpretatur Boeckhius; poſſis etiam ita: *tollam in Athenienſium gratiam* (ſive *pro Athenienſibus*) *mercedem e Salaminia pugna.* Μισθὸν accipiendum de *carminum laudibus.* Nam, ut dicit Nem. VII. 63. ποτίφορος δ' ἀγαθοῖσι μισθὸς αὐτος. atque haec interpretatio convenit cum ſequenti, ὕμνον τελέταις. — πρὸ Κιθαιρῶνος, i. e. ad Plataeas. Nam Πλαταιαὶ ὑπὸ τῷ Κιθαιρῶνι εἰσι. Strabo IX. p. 631. quod notavit Weſſel. ad Diodor. l. l. — Himerenſis victoria tribuitur παίδεσσι Δεινομένευς, tanquam decus Geloni cum fratribus, Hierone, Polyzelo, Thraſybulo, commune: ſimiliter in tripodum inſcriptione, quos Gelo ob hanc victoriam conſecraverat. ſchol. Quamquam hujus laudis longe maxima pars ad ipſum Gelonem, belli ducem, pertinebat: cujus etiam bene memores fuerunt Syracuſani, cum ferant, eos poſt Dio-

Dionysii tyranni expulsionem, caeterorum statuis divenditis, Gelonis statuam reliquisse, ἀγαμένους καὶ τιμῶντας τὸν ἄνδρα τῆς νίκης, ἣν πρὸς Ἱμέρᾳ Καρχηδονίους ἐνίκησεν. Plutarch. Timol. cap. XXIII. extr. — Ad participium τελέσαις supplendum precedens ἐρέω, vel ἀρέομαι μισθὸν: durius tamen hoc; facilius jungitur oratio, si e Boeckhii emendatione pro ἐρέω legas ἐρέων.

vs. 81. καιρὸν εἰ φθέγξαιο, κ. τ. λ. Nunc poëta, laudes in modum conferens, suum studium reprimit. Sensus est: Jam, multis rebus summatim et breviter memoratis, finem faciam canendi, ne nimiis laudibus fastidium et invidia excitetur. Modum in laudando saepius sibi statuit Pindarus: loca indicavit Heynius. καιρὸν, pro κατὰ καιρὸν, sive μετρίως. — μῶμος est idem atque φθόνος; ut vidimus ad Ol. VI. 74. κόρος autem est fastidium, quod nimia laus parit. cf. Nem. VII. 52. hoc ἀμβλύνει, hebetat hominum mentes; cum molestia et taedio minus promti sint ad auscultandum, minusque faveant laudibus. De usu metaphorico verbi ἀμβλύνειν, quem immerito aspernatur Moeris, in V. κολούει, cf. Thucyd. II. 87. ejusque Indic. Duker. in V. ἀμβλύτερος. Platon. de Rep. p. 490. B. — ἀστῶν ἀκοὰ est fama apud cives, (interprete Boeckhio), quae tectos invidorum animos gravat alienae felicitatis sive gloriae obtrectatione.

vs. 85. ἀλλ' ὅμως — καλά. Suadet, ne invidia a laudis studio deterreatur: praestat enim invidiosum esse quam miserabilem. κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος; hoc ex communi proverbio dictum; quod no-

tavit Erasmus, Adag. *praſtat invidioſum.* — τὰ καλὰ ſunt rerum honestarum, in primis victoriarum, ſtudia; quo ſenſu quoque accipiendum videtur Ol. I. 104. ubi καλῶν ἴδριν in Hierone laudat.

vs. 86. νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ κ. τ. λ. Egregia ſane monita, quibus Regem ad justitiam, veritatem, benignitatem colendam adhortatur: quibus rebus favorem hominum et laudem optime ſibi conciliare posſit. Monendi hic locus valde erat idoneus, propter conditam recens civitatem, quae Hieronis auspiciis regeretur. Neque vero haec admonitio ab Hieronis moribus abhorrebat: qui quamvis a Pindaro (Ol. VI. 93. Pyth. III. 71.) tanquam rex justus et clemens laudatus ſit, in nonnullis tamen illum propter perpetui imperii cupiditatem civibus iniquiorem ſe praebuisſe conſtat. Hinc tyrannicus ille apparatus, ſatellitum mercenariorum et corycaeorum turba, quorum meminerunt Diodorus XI. 48. et Aristoteles V. 11. (Opp. T. III. p. 544. D. Paris.) laudatus a Wesſelingio ad Diodor. XI. 67. qui quamvis ad imperium tuendum fortasſe necesſarii, a Graecis tamen hominibus haud ferebantur. Caeterum de Hierone cf. Francici ſcriptores, Bayle, Lex. Histor. in V. Boisſy, Hist. Simonidis, p. 232. ſqq. Jam ad Pindarum revertamur.

Primum praeceptum de justitia est. δικαίῳ πηδαλίῳ, i. e. *ſceptro* ſive *imperio justo.* Deſumtum hoc a navis imagine, quae quam frequenter ad res civitatis ſoleat transſerri, cum a poëtis tum a philoſophis, notisſimum est. Vide, quos laudarunt viri docti ad Aeſchyl.

Sept.

Sept. adv. Th, vs. 2. Hinc ſplendida illa imago in Platon. de Rep. VI. p. 488. cf. Cicero de Rep. I. 6. Quae ſequuntur, ἀψευδεῖ πρὸς ἄκμονι χαλκεύε γλῶσσαν, docte illustravit Boeckh. χαλκεύειν γλῶσσαν dicitur ſimiliter, ut χαλκεύειν ὕμνους (Antip. Sidon. Epigr. LXXIX. Anal. Brunck. T. II. p. 27.), *procudere* ſive *formare linguam*, *carmina*, πρὸς ἄκμονι ἀψευδεῖ, *in veritatis* ſive *fidei incude*; h. e. a fallaciis abstinere, fidem in dictis ſervare. Monitum hoc ſpectare puto ad novam Aetnae coloniam: ut Hiero leges, jura, conditiones, colonis propoſita, vera praeſtaret atque ſervaret.

vs. 87. εἴ τι καὶ φλαῦρον κ.τ.λ. φλαυρόν τι, *leve quid*, intelligitur ψεῦδος, ex antecedenti ſententia, cui haec opponuntur. παραιθύσσει, *excidit*, videtur adhuc ad eandem metaphoram ſpectare, a ſcintillis petitam, quae cudendo ferro *emicant*: ut Heynii verbis utar. μέγα φέρεται πὰρ σέθεν, breviter dictum, pro μέγα γίγνεται πὰρ σέθεν φερόμενον. Quae ſequuntur, πολλῶν ταμίας — πιστοί. abrupte, ut a lyrico, dicta, vulgari oratione ſic cum ſuperioribus esſent connectenda: ἐπεὶ, σοῦ πολλῶν ἀνδρῶν ἄρχοντος, πολλοὶ καὶ μάρτυρες εἰσὶν πιστοὶ ἀμφοτέροις, σοὶ καὶ τοῖς ἀρχομένοις. *Cum enim multis imperes, multi ſunt et tibi et ſubditis tuis testes*, pactorum, puta, et conditionum, de quibus inter utrosque convenit. Ad Aetnaeos haec quoque ſpectare videntur, ut modo dixi. Aliter haec interpretantur Heynius et Boeckh. — ταμίας

dicitur universe προστάτης, δεσπότης; hinc etiam *regem* significat: ut Pyth. V. 62.

vs. 89. εὐανθεῖ δ' ἐν ὀργᾷ — ἱστίον ἀνεμόεν. εὐανθεῖ ἐν ὀργᾷ schol. interpretatur εὐγενεῖ τρόπῳ, h. e. *animo magno*, *excelso*, *liberali*; qualis regem maxime decet. De usu vocis ὀργὰ, vid. praeter alios Wasse ad Thucyd. I. 140. — ἀκοὰν ἀδεῖαν vocat τὸν ἔπαινον, quippe quod, ut etiam Socrates ait, πάντων ἥδιστον ἄκουσμα sive ἀκρόαμα habetur. Vid. Xenoph. Mem. Socr. II. 1. §. 31. Hieron. I. §. 14. — ἔξιει δ' ἱστίον ἀνεμόεν, figurata locutio, cujus haec est vis: *Ne parcus sis et tenuis in sumtibus faciendis, sed summa largitate, tanquam plenis velis, utare.* Spectat hoc monitum ad liberalitatem, cum in viris doctis honorandis, aliisque rebus adhibendam, tum etiam praesertim, ut puto, in equis alendis, publicisque ludorum certaminibus instituendis; quibus studiis maxime et sibi et suae civitati lumen atque decus poterat parare. cf. supra vs. 31—38. Caeterum metaphora hac, a navigatione et velis petita, nihil frequentius. Conferunt praecipue Isthm. II. 39. sq. ubi de hospitalitate usurpatur. Alio sensu eadem adhibetur Nem. V. 51. ad quem locum similia plura contulit Dissenius.

vs. 92. εὐτραπέλοις κέρδεσσ'. Εὐτράπελος proprie de *facilitate* et *venustate in motu* dicitur: quo sensu apud Thucyd. II. 41. Pericles Athenienses laudans, dicit, eos ἐπὶ πλεῖστ' εἴδη (f. ἐπιπλεῖστον ἡδὺ) καὶ μετὰ χά-

χάριτων μάλιςʼ ἂν εὐτραπέλως τὸ σῶμα αὔταρκες παρέχεσθαι. ubi ſchol. εὐτραπέλως interpretatur εὐκινήτως, ἐνδεξίως. Deinde vox ad mores translata, notat hominem *natura ad vitae facilitatem factum*, *temporibus inſervientem*, *molliter ferentem omnia*. Lex. Reg. MS. εὐτράπελος· — ὁ εὐκαίρως καὶ εὐπόλως τρεπόμενος κατὰ τὸν βίον, καὶ πάσας συμφορὰς ὑπομένων. Quae protulit Alberti ad Heſych. in V. Ita Aelian. Var. Hist. V. 13. quum de Athenienſibus dicit: ἦσαν δʼ ἄρα ʼΑθηναῖοι δεινῶς εἰς τὰς πολιτείας εὐτραπέλοι, καὶ ἐπιτήδειοι πρὸς τὰς μεταβολὰς παντὸς μᾶλλον. quam εὐτραπελίαν deinde ipſe interpretatur ἀγχίστροφον μεταβολὴν τοῦ τρόπου. Praecipue autem in ſermone cernitur: itaque εὐτράπελος dicitur is, qui est *urbanus*, *lepidus*, *facetus*, plerumque tamen deteriori ſenſu, cum *levitatis* vel *aſſentationis* notatione. Lex. Reg. MS. modo laudatum: εὐτράπελος· ἐπιμελῶς παίζων. ἢ ὁ κοῦφος καὶ μωρὸς καὶ ἀπαίδευτος. κυρίως δὲ, ὁ μιμολόγος, ὁ γελωτοποιός. Ita Plato de Rep. VIII. 563. A. de ſenibus, qui praeter aetatem facetos et blandos ſe praebent: οἱ δὲ γέροντες συγκαθιζοντες τοῖς νέοις εὐτραπελίας τε καὶ χαριεντισμοῦ ἐμπίπλανται, μιμούμενοι τοὺς νέους, ἵνα δὴ μὴ δοκῶσιν ἀηδεῖς εἶναι μήδε δεσποτικοί. ad quem locum de vi vocis egit ſchol. Ruhnken. Pindar. Pyth. IV. 105. ubi Jaſon dicitur οὔτε ἔργον οὔτʼ ἔπος εὐτράπελον εἰπών, i. e. *neque rem ullam neque verbum proferens fucatum*, *fallax*, *ſimulatum*. Respondet enim hoc praecedenti Peliae dicto, vs. 99. ἐχθίστοισι μὴ ψεύδεσι καταμιάναις εἰπὲ γένναν. His adhibeantur Heſy-

gnius c. intp. Sallier. ad Thom. Mag. V. σκῶμμα, p. 801. Ernesti Clav. Cicer. in Indice Graec. h. v. Hoc igitur loco κέρδεα εὐτράπελα interpr. *aulicorum adulatorum astutias, quae blandis et fucatis verbis atque facetiis tectae, decipiunt et ab honestis ſtudiis avertunt;* ut explicavit Boeckh. conferens Pyth. II. 75. ſqq. His opponit deinceps posteritatis famam, testem illam veritatis, quae hominum post mortem exponit memoriam.

vs. 94. λογίοις καὶ ἀοιδοῖς. λογίοι cum h. l. opponantur ἀοιδοῖς, ſunt *proſae orationis ſcriptores*, ſive *historici*. cf. exempla laudd. a Valeſio ad Harpocrat. p. 304. Eadem ratione λέγειν et ᾄδειν ſibi opponuntur: Thucyd. II. 8. πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγοντο (ἔλεγον), πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον. ubi diſcrimen hoc notavit ſchol. Xenoph. Cyrop. I. 2. §. 1. Φῦναι δὲ ὁ Κῦρος λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων κ. τ. λ. Utrumque locum attulit jam Creuzer in libello, Germanice conſcripto, cui titulus: Herodotus et Thucydides, p. 30. ſq.

vs. 94. οὐ φθίνει Κροίσου — δάρεισι δέκονται. *Croeſi* et *Phalaridis* exemplis oſtenditur humanitatis et liberalitatis aeternam eſſe laudem, inhumanitatem contra crudelitatemque ab omnibus infamari. Illius nota eſt liberalitas, qua cum alios ſaepe proſecutus eſt, tum imprimis doctorum virorum, qui id temporis in Graecia florebant, ſibi conciliavit ſtudia: ut intelligitur ex Herodoto, I. 29. ſq. hinc maximus, ut cum Juſtino, I. 7. dicam, *Croeſi amor apud omnes* (Graeciae) *urbes erat.* φιλόφρων ἀρετὰ

τὰ dicitur pro vulgari φιλοφροσύνη καὶ φιλοξενία. — οὐ φθίνει, i. e. ut Horatiano dicto utar, *extento vivet aevo*, five; femper honorabitur. Ita faepius virtutem aeternam praedicant: ut Euripides in Stobaei Floril. Grot. Tit. I. p. 3.

ἀρετὴ δὲ, κἂν ἀποθάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται,
ζῇ δ', οὐκ ἔτ' ὄντος σώματος.

Croefi humanitati opponitur Phalaris, immanis ille Agrigentinorum tyrannus, quem fua nobilitavit crudelitas. Tetigit hunc locum Bentlei. Disfert. de Epist. Phalar. Opusc. p. 32. fq. Lipf. *Taurus Phalaridis* in praecipua parte ejus crudelitatis ponitur, ut adeo hic pro exquifitisfimo fupplicii genere ufurpetur. De eo prodidit Timaeus apud fchol. docte a Boeckhio explicitus. — οὐδέ μιν φόρμιγγες — δέκονται; haec ita jungenda: οὐδὲ φόρμιγγες ὑπωρόφιαι (ἐν vel σὺν) παίδων ὀάροισιν δέκονταί μιν (εἰς) κοινωνίαν μαλθακὰν (παίδων). Intelliguntur carmina, quibus illustrium virorum laudes in conviviis ad lyram una celebrare folebant: *in hos cantus*, inquit poëta, *Phalaris non recipitur*; i. e. *his cantibus non celebratur*. ὄαροι, hic dicuntur *cantus*: ut Nem. III. 11.

ἐγὼ δὲ κείνων (τῶν νεανίων) τέ μιν ὀάροις
λύρᾳ τε κοινάσομαι.

ad q. l. Disfen. citat Spanhem. ad Callimach. Pallad. vs. 66.

vs. 99. τὸ δὲ παθεῖν εὖ — εὖ δ' ἀκούειν. Illud *fortunam* et *res prosperas*, hoc *bonam famam* notat: quae ambo fummam felicitatem complectuntur.

Similiter Nem. I. 31. ſq. *ἔραμαι — εὖ τε παθεῖν καὶ ἀκοῦσαι.* Eadem ſententia est Solonis, latius expoſita, in principio carminis ad Muſas:

ὄλβον ἐμοὶ πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων
ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν.

στέφανον ὕψιστον eleganter dicit *felicitatis fastigium.* Eadem metaphora utitur Thucyd. II. 46. ubi inter eorum, qui pro patria occubuerunt, praemia etiam hoc memorat Pericles: *αὐτῶν τοὺς παῖδας τὸ ἀπὸ τοῦδε δημοσίᾳ ἡ πόλις μέχρις ἥβης θρέψει, ὠφέλιμον στέφανον τοῖσδέ τε καὶ τοῖς λειπομένοις τῶν τοιῶνδε ἀγώνων προτιθεῖσα.* Euripid. fragm. Antiopes in Stob. Floril. Grot. p. 5. *Colas*, inquit, *honestatem*, *qua colenda*

κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας αἰεί.



INDEX.

A.

Aqui-

D.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

Mu-

P. Φ.

Θ ἄσ

V. Υ.

X.

Z.

E R R A T A,

quae vel fcripturae vel operarum vitio irrepfe-
runt, haec praecipue notanda putavi:

pag. 3. lin. 14. illis animus. *lege:* illius animus.

— 4. — 8. homnum. — hominum.

— 38. c. 2. lin. 5. hoc fignificatione. *lege:* hac fignificatione.

— 78. lin. 2. Phocyl. fr. *lege:* Phocyl. Νουθετ. vs. 49. Poef. Gnom. Brunck.p. 113.

— 114. — 16. vs. 145. *lege:* vs. 89.

— 116. — 20. vs. 154. — vs. 94.

— 120. — 12. vs. 173. — vs. 105.

— 121. — 20. vs. 176. — vs. 107.

— 122. — 23. vs. 178. — vs. 108.

